Quia, pater venerande, valde desidero te videre; itaque gratum (mihi) fac (et) festina venire ad nos, ut te videamus, donec es in hoc mundo, et preces tuas accipiamus. Statim autem profectum eum illuc suscepit eum imperator magno cum honore et gaudio, et doctrina eius laudata, retinuit ex discipulis eius presbyterum et diaconem cum libris; omnem autem voluntatem eius perfecit, quantumcunque voluit, et nulla re ei recusata, postquam eum osculatus est et magnopere donavit, comitatus est eum iterum sollemniter ad eius sedem, item et patriarcha.

XIV. In omnibus itineribus in multa pericula incidebat a diabolo, in desertis in praedones, in mari in undas turbulentas, in fluviis in syrtes insperatas, ita ut impleretur in eo apostolicum verbum (2 Cor. 11, 26—27): Pericula a latronibus, pericula in mari, pericula in fluminibus, pericula a falsis fratribus, in laboribus et aerumnis, in vigiliis plerumque, in fame et siti plerumque, et in ceteris tribulationibus, quas apostolus memorat.

XV. Post ista autem relicto omni tumultu et dolore suo deo commendato, prius vero ex discipulis suis duobus presbyteris consti-

дъва попа скорописьца ѯ҃кло, прѣложи въ бръзѣ вьсѫ кънигы испльнь, развѣ Маккавеи, отъ Грьчьска ꙗзыка въ Словѣньскъ, шестыѫ мѣсѧць, начьнъ отъ марта мѣсѧца до дъвою десѧтоу и шестью дьнь октѧбрьа мѣсѧца. оконьчавъ же достоиньıѫ хвалѫ и славѫ богоу въздастъ, даѫштоуѥмоу таковѫ благодѣть и поспѣхъ, и сватоѥ възношенье таиноѥ съ клиросомь своимь възнесъ, сътвори памать сватаѥго Димитрьа. псалтырь бо бѣ тъкъмо и ѥвангелыѥ съ апостоломь и извьранъıими слоужьбами цркъвьнъıими съ философомь прѣложилъ прьвѣѥ. тъгда же и номоканонъ рекъше законоу правило и отьчьскъıѫ кънигы прѣложи.

XVI. Пришьдъшоу же на странъı Доунаискъıѫ краю Ѫгрьскоуѥмоу, въсхотѣ и видѣти, и ѥтеромъ глаголѫштемъ и не пъштоуѫштемъ, ꙗко не избѫдеть ѥго без мѫкъı, идѥ къ ниѥмоу. онъ же ꙗко достоитъ владъıцѣ, тако и приѥтъ чьстьно и славьно съ весельıѥмь, и бесѣдовавъ съ ниѥмь, ꙗкоже достоꙗше тацѣма мѫжема бесѣдъı глаголати, отъпоусти и оулюбль и облобъızавъ съ даръı великъıими, рекъ ѥмоу: помѧни мѧ, чьстьнъи отьчѥ, въ сватъıихъ молитвахъ твоихъ присно.

---

tutis, qui valde velociter scribebant, vertit brevi tempore omnes libros (scripturae) plene, exceptis Maccabaeis, ex Graeca lingua in Slovenicam, intra sex menses, inchoans a Martio mense usque ad vicesimam sextam diem Octobris mensis. Opere vere finito debitas gratias et laudes deo egit, concedenti talem gratiam atque eventum, et sanctam elevationem secretam (mysteriosam) cum clero suo tollens, fecit memoriam sancti Demetrii.[1]) Psalterium enim tantum et evangelium cum apostolo et electis officiis ecclesiasticis cum philosopho antea converterat. Tunc autem et nomocanonem id est legis regulam et patrum libros transtulit.

XVI. Cum autem in partes Danubianas venisset rex Ungricus, voluit illum videre, et licet quidam loquerentur et putarent, fore ut non liberaretur ab illo sine cruciatu, ivit ad eum. Ille vero, prout decet dominum, ita eum suscepit honorifice et sollemniter cum gaudio, et collocutus cum eo, prout decebat tales viros sermones facere, dimisit illum, cum amore et osculis et donis magnis, dicens ei: Memento mei, venerabilis pater, in sanctis precibus tuis semper.

[1]) Sv. Demetria Solunského, jehož pamět se slaví 26. října.

XVII. Такождє вьсѧ винъı отъсѣкъ по вьсѣ странъı, и оустa мъногорѣчьнъıихъ загради, теченыє жє съворьши, вѣрж съблюдє, чаѩ правьдьнаіего вѣньца; и понєжє тако оугожь богоу възлюблєнъ бъıстъ, приближати сѧ начатъ врѣмѧ покои приѩти отъ страсти и мъногъıихъ троудъ мьздж. въпросиша жє и рєкъше: кого чоуєши, отьчє и оучитєлю чьстьнъıи, въ оученицѣхъ своихъ, да би отъ оученьıа твоіего тебѣ настольникъ бъıлъ? показа жє имъ єдиного отъ извѣстьнъıихъ оученикъ своихъ, нарицаємаіего Горазда, глаголѧ: сь єстъ вашєѧ зємлѧ свободь мжжь, оучєнъ жє добрѣ въ Латиньскъıѧ къ҃нигъı, правовѣрьнъ; то бжди божьıа волıа и ваша любъı, ѩкожє и моıа. събьравъшємъ жє сѧ имъ въ цвѣтьнжж недѣлж вьсѣмъ людьмъ, въшьдъ въ црькъвь и нє могъı, каза въ благодѣти[1]) цѣсарıа и къняжа и клирикъı и люди вьсѧ, и рєчє: стрѣжѣтє мєнє, дѣти, до .ѳ̃.-ıіего дьнє, ѩкожє и бъıстъ. свитаѩштоу .ѳ̃.-ıємоу дьни, прочеіє рєчє: въ рѫцѣ твои, господи, доушж моіж вълагаіж. въ рѫкахъ жє иєрєискахъ почи въ .s̄. дьнь мѣсѧца априлıа въ .ѳ̃. индиктѣ въ

XVII. [1]) казакъ блг̃дати Usp. каза къ благодѣти Šaf.

XVII. Ita omnibus causis dimotis ex omnibus partibus, et ora multiloquorum obseravit, cursum autem perfecit, fidem servavit, expectans iustitiae coronam; et quoniam sic deo gratus et ab eo amatus erat, appropinquabat tempus pacem accipiendi a passione et multorum laborum mercedem. Interrogaverunt autem eum et dixerunt: Quem agnoscis, pater et doctor honorabilis, inter discipulos tuos, ut in institutione tua sit tibi successor? Monstravit vero illis unum ex fidis discipulis suis, dictum Gorazd, dicens: Hic est vestrae terrae ingenuus vir, eruditus autem bene in Latinis libris, orthodoxus; hoc sit dei voluntas et vester amor sicuti et meus. Congregatis vero per illum dominica palmarum omnibus hominibus, ingressus in ecclesiam et non potens, benedixit imperatorem et principem et clericos et omnes homines et dixit: Custodite me, liberi, usque ad tertiam diem, quomodo etiam factum est. Cum tertia dies illucesceret, dixit porro (Luc. 23, 46): In manus tuas, domine, animam meam commendo. In manibus autem presbyterorum requievit sexta die mensis Aprilis tertia indictione anno sexies millesimo et trecentesimo et nonagesimo et tertio a creatura

.s̄. и .т̄. и .ч̄. и .р̄. лѣта отъ твари всего мира. оусѫждьше же и свои оученици и достоинꙑ чьсти сътворьше, и слоужьбѫ црькъвьнѫю Латиньскꙑ и Грьчьскꙑ и Словѣньскꙑ сътрѣбиша и положиша и въ съборьнѣи црькъви. и приложи сѧ къ отьцемъ своимъ и патриархомъ и пророкомъ и апостоломъ, оучителіемъ, мѫченикомъ. людьіе же, бештисльнъ народъ събьравъ сѧ, провождаахѫ съ свѣштами, плачѫште сѧ добра оучителя и пастꙑря, мѫжьскъ полъ и женьскъ, малии и велиции, богатии и оубоѫии, свободьнии и раби, вьдовица и сиротꙑ, странньнии и тоземьци, неджьнии и съдравии, вьси бꙑвъшаего вьсѣчьско вьсѣмъ, да би вьсѣ приобрѣлъ. тꙑ же съ вꙑше, сватаа и чьстьнаа главо, молитвами своими призираи на нꙑ, желаѫштаѫ тебе, избавлаи отъ вьсѣкоѭ напасти оученикꙑ своѭ, и оученьіе простираѭ а иереси прогона, да достоино зъваньіа вашего живъше сьде, станемъ съ тобоѭ, твоіе стадо, о десноѭ странѫ Христа бога нашего, вѣчнѫю жизнь приемлѫште отъ него; томоу бо иестъ слава и чьсть въ вѣкꙑ вѣкомъ. аминь.

---

totius mundi. Re autem considerata discipuli eius debitos honores reddiderunt et officium ecclesiasticum Latine et Graece et Slovenice peregerunt et collocaverunt eum in synodali ecclesia. Et collectus est ad patres suos et patriarchas et prophetas et apostolos, doctores (et) martyros. Homines vero, innumerabilis populus congregatus, comitabantur (eum) cum candelis, deflentes bonum doctorem et pastorem, viri et mulieres, parvi et magni, divites et pauperes, liberi et servi, viduae et orphani, peregrini et domestici, infirmi et sani, omnes (eum), qui factus est omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret (1 Cor. 9, 22). Tu vero desuper, sanctum et venerabile caput, precibus tuis respice nos, desiderantes te, libera ab omni periculo discipulos tuos et doctrinam propagans, haereses autem persequens, ut, qui digne vocatione vestra hic vixerimus, perveniamus ad te, tuus grex, ad dexteram Christi dei nostri, aeternam vitam percipientes ab illo; isti enim est gloria et honor in saecula saeculorum. Amen.

3. Legenda římská.

Vita cum translatione S. Clementis.

1.

Tempore igitur quo Michaël Imperator Novae-Romae regebat imperium, fuit quidam vir nobili genere, civitate Thessalonica ortus, vocabulo Constantinus, qui ob mirabile ingenium, quo ab ineunte infantia mirabiliter claruit, veraci agnomine Philosophus est appellatus. Hic cum adolevisset, atque a parentibus fuisset in urbem regiam ductus, essetque insuper magna religione et prudentia praeditus, honorem quoque Sacerdotii ibidem, ordinante Domino, est adeptus.

Tunc temporis ad praefatum Imperatorem Cazarorum legati venerunt, orantes ac supplicantes, ut dignaretur mittere ad illos aliquem eruditum virum, qui eos fidem catholicam veraciter edoceret; adiicientes inter cetera, quoniam nunc Judaei ad fidem suam, modo Saraceni ad suam nos convertere e contrario moliuntur. Verum nos ignorantes ad quos potissimum nos transferamus, propterea a summo et catholico Imperatore consilium quaerere nostrae fidei ac salutis decrevimus, in fide vestra ac veteri amicitia plurimum confidentes. Tunc Imperator, simul cum Patriarcha consilio habito, praefatum Philosophum advocans, simul cum legatis illorum ac suis, honorificentissime transmisit illuc, optime confidens de prudentia et eloquentia eius.

2.

E vestigio igitur praeparatis omnibus necessariis, iter arripiens venit Cersonam, quae nimirum terrae vicina Cazarorum et contigua est, ibique gratia discendi linguam gentis illius est aliquantulum demoratus. Interea Deo inspirante, qui iam iamque tantum tamque pretiosum thesaurum, corporis videlicet S. Clementis, fidelibus suis revelare decreverat, coepit praefatus vir, ac si curiosus explorator, ab incolis loci diligentissime perscrutari ac solerter investigare illa, quae ad se tum litterarum traditione, tum quoque vulgari fama, de corpore B. Clementis, de templo angelicis manibus praeparato sive de arca ipsius, pervenerant. Ad quem praefati omnes, utpote non indigenae, sed diversis ex gentibus advenae, se quod requireret omnino nescire pro-

fessi sunt. Siquidem ex longo iam tempore, ob culpam et negligentiam incolarum, miraculum illud marini recessus, quod in historia passionis praefati Pontificis celebre satis habetur, fieri destiterat, et mare fluctus suos in pristinas stationes refuderat. Praeterea et ob multitudinem incursantium Barbarorum locus ille desertus est, et templum neglectum atque destructum, et magna pars regionis illius fere desolata et inhabitabilis reddita; ac propterea ipsa sancti Martyris arca cum corpore ipsius fluctibus obruta fuerat.

3.

Super quo responso miratus valde ac tristis Philosophus redditus, ad orationem conversus est, ut quod per homines explorare non poterat, divina sibi revelatio meritis praefati Pontificis dignaretur ostendere. Civitatulae ipsius Metropolitam, nomine Georgium, simul cum clero et populo ad eadem de caelo expetenda invitans: super hoc etiam referens illius gesta passionis, seu miraculorum eiusdem beatissimi Martyris, plurimos eorum accedere et tam pretiosas margaritas tamdiu neglectas requirere, et in lucem Deo iuvante reducere, suis adhortationibus animavit. Quadam autem die, quae in III. Calendarum Januariarum inscribitur, tranquillo mari navem ingressi, Christo duce iter arripiunt, praedictus videlicet Philosophus cum Episcopo ac venerabili clero, nec non cum nonnullis de populo. Navigantes igitur cum ingenti devotione ac fiducia psallentes et orantes pervenerunt ad insulam, in qua videlicet aestimabant sancti corpus Martyris esse. Eam igitur undique circumdantes, et multo luminum splendore lustrantes, coeperunt magis ac magis precibus sacris insistere, et in acervo illo, quo tantum thesaurum quiescere suspicari dabatur, curiose satis et instantissime fodere.

4.

Ubi diu multumque desiderio sancto cunctantibus, et de spe divinae miserationis plurimum confidentibus, tandem ex improviso velut clarissimum quoddam sidus, donante Deo, una de costis Martyris pretiosi resplenduit. Ad quod spectaculum omnibus immensa exultatione repletis, magisque ac amplius sine aliqua iam excitatione terram certatim eruderantibus, sanctum quoque caput ipsius consequenter apparuit. Quantae iam omnium voces in caelum, quantae laudes et gratiarum actiones in Deum ab universis cum lacrimarum effusionibus datae

sunt, si vel aestimare quidem vix possumus, quanto minus exprimere? Tanta siquidem in omnes tum de sanctarum inventione reliquiarum, tum de immensissimi odoris suavitate erat innata laetitia, ut cum iubilo ineffabili gratulantes in paradiso extra sese putaretur consistere. Cum ecce post paullulum rursus quasi ex quibusdam abditis sanctarum reliquiarum particulis paullatim et per modica intervalla, omnes repertae sunt. Ad ultimum quoque ipsa etiam anchora, cum qua in Pontum est praecipitatus, apparuit.

5.

Omnibus igitur pro tantis Dei bonis immensa repletis laetitia, celebratis ibidem a sancto Pontifice sacrosanctis mysteriis, ipsemet sanctus vir super proprium caput sanctarum reliquiarum loculum levans, ad navim cum ingenti universorum subsequentium tripudio detulit; ac deinde Georgiam[1]) metropolim cum hymnis et laudibus maximis transportavit. Interea cum iam civitati appropinquarent, vir nobilis Nicephorus, eiusdem civitatis dux, illis cum pluribus aliis obviavit, et adoratis sanctis reliquiis, cum multis gratiarum actionibus praecedens sanctum loculum, ad urbem cum gaudio remeare properabat. Ibi etiam cum ingenti universorum tripudio sanctum ac venerabile corpus receptum adoravit, et recitato coram omni populo inventionis eius mysterio, cum iam advesperasceret, et prae nimia populi frequentia ingredi ultra non posset, in templo S. Sozontis[2]), quod urbi erat contiguum, cum diligenti custodia posuerunt: demum vero ad ecclesiam S. Leuntii[3]) transtulerunt. Inde cum mane factum esset, universa civitatis multitudo conveniens, assumpto sanctarum reliquiarum loculo, totam cum magnis laudibus in circuitu lustraverunt urbem, et sic ad maiorem basilicam venientes, in ea ipsum honorifice locaverunt: sicque omnes demum ad sua gaudentes reversi sunt.

6.

Post haec praedictus Philosophus iter arripiens, et ad gentem illam, ad quam missus fuerat, veniens, comitatus Redemptoris omnium

[1]) Boll. minus recte: Gloriam.

[2]) Egregio perfunctus martyrio est S. Sozon Pompeiopoli in Cilicia. Nota Bolland.

[3]) Multi in martyrologiis tum Latinorum tum Graecorum memorantur Leontii, cui potissimum in Taurica Chersoneso dicata fuerit ecclesia, nos latet. Nota Bolland.

Dei praedicationibus et rationibus eloquiorum suorum, convertit omnes illos ab erroribus, quos tam de Saracenorum quam de Judaeorum perfidia retinebant. Unde plurimum exhilarati, et in fide catholica corroborati atque edocti, gratias referebant omnipotenti Deo et famulo eius Constantino Philosopho. Litteras insuper Imperatori cum multis gratiarum actionibus transmiserunt: quia eos studio suo ad veram et catholicam revocare studuerit fidem; affirmantes se ob eam rem imperio eius semper subditos et fidelissimos de cetero velle manere. Deducentes autem Philosophum cum multo honore, obtulerunt ei munera maxima, quae ille omnia, ut revera Philosophus, respuens, rogavit ut pro muneribus illis, quotquot captivos externos haberent, sibi secum mox reversuro dimitterent. Quod protinus completum est.

7.

Philosopho autem reverso Constantinopolim, audiens Rastilaus (sic) princeps Moraviae, quod factum fuerat a Philosopho in provincia Cazarorum; ipse quoque genti suae consulens, ad praedictum Imperatorem nunicos misit, nuncians hoc, quod populus suus ab idolorum quidem cultura recesserat, et christianam legem observare desiderabat; verum doctorem talem non habent, qui ad legendum eos et ad perfectam legem ipsam edoceat: rogare se ut talem hominem ad partes illas dirigat, qui pleniter fidem et ordinem divinae legis et viam veritatis populo illi ostendere valeat. Cuius precibus annuens Imperator, eundem supernominatum Philosophum ad se venire rogavit; eumque illuc, id est, in terram Sclavorum, simul cum Methodio germano suo, transmisit, copiosis valde illi de palatio suo datis expendiis. Cumque ad partes illas, Deo praeparante, venissent; cognoscentes loci indigenae adventum illorum, valde gavisi sunt; quia et reliquias B. Clementis secum ferre audierant, et Evangelium in eorum linguam a Philosopho praedicto translatum. Exeuntes igitur extra civitatem obviam, honorifice et cum ingenti laetitia receperunt eos. Coeperunt itaque ad id quod venerant peragendum studiose insistere, et parvulos eorum litteras edocere, officia ecclesiastica instruere, et ad correptionem diversorum errorum, quos in populo illo repererant, falcem eloquiorum suorum inducere; sicque abrasis et extirpatis de agro illo pestifero multifariis vitiorum sentibus, divini verbi gramina seminare. Manserunt ergo in Moravia per annos quatuor et dimidium, et direxerunt populum illius in fide catholica, et scripta ibi reliquerunt omnia, quae ad Ecclesiae ministerium videbantur esse necessaria.

8.

His omnibus auditis, Papa gloriosissimus Nicolaus, valde laetus super his quae sibi ex hoc relata fuerant redditus, mandavit et ad se venire illos litteris Apostolicis invitavit. Quo nuncio illi percepto valde gavisi sunt, gratias agentes Deo, quod tanti erant habiti, quod mererentur ab Apostolica Sede vocari. Mox igitur iter aggressi, duxerunt etiam secum aliquos de discipulis suis, quos dignos esse ad Episcopatus honorem recipiendum censebant: sicque post aliquos dies Romam applicuerant.

9.

Sed cum ante non multos dies supradictus Papa Nicolaus transiisset ad Dominum, secundus Adrianus, qui illi in Romano Pontificatu successerat, audiens quod praefatus Philosophus corpus B. Clementis, quod studio suo repererat, secum deferret, valde nimis exhilaratus est, et extra Urbem cum clero et populo procedens obviam illis, honorifice satis eos recepit. Coeperunt interea ad praesentiam sanctarum reliquiarum, per virtutem omnipotentis Dei, sanitates mirabiles fieri; ita ut quovis languore quilibet oppressus fuisset, adoratis pretiosi Martyris reliquiis sacrosanctis, protinus salvaretur. Quapropter tam Venerabilis Apostolicus quam et totius Romani populi universitas, gratias et laudes Deo maximas referentes, gaudebant et iucundabantur in ipso, qui iis post tam prolixi temporis spatia concesserit in diebus suis sanctum et Apostolicum virum, et ipsius Apostolorum Principis Petri successorem, in Sede sua recipere; et non solum Urbem totam, sed et Orbem quoque totum Romani Imperii, signis eius ac virtutibus illustrare. Multis itaque gratiarum actionibus praefato Philosopho pro tanto beneficio redditis, consecraverunt ipsum et Methodium in Episcopos, nec non et ceteros eorum discipulos in Presbyteros et Diaconos.

10.

Cum autem Philosophus, qui et Constantinus, diem transitus sui imminere sibi sensisset, ex concessione Summi Pontificis imposuit sibi nomen Cyrillum, dicens hoc revelatum sibi fuisse: et sic post quadraginta dies dormitionem accepit in Domino sexto decimo Kalendas Martias. Praecepit autem sanctus Apostolicus, ut omnes tam Graeci quam Romani clerici ad exequias eius accurrerent cum psalmis et canticis, cum cereis et thuris odoribus, et non aliter ei, quam ipsi quoque Apostolico, funeris honorem impenderent.

11.

Tunc supradictus frater eius Methodius accedens ad sanctum Pontificem, et procidens ad vestigia eius, ait: Dignum ac necessarium duxi suggerere Beatitudini Tuae, Apostolice Pater, quoniam quando ex domo nostra ad servitium, quod auxiliante Domino fecimus, sumus egressi; mater cum multis lacrimis obtestata est, ut si aliquem ex nobis, antequam reverteremur, obiisse contingeret, defunctum fratrem frater vivens ad monasterium suum reduceret, et ibidem illum digno et competenti obsequio sepeliret. Dignetur igitur Sanctitas vestra hoc munus meae parvitati concedere, ne precibus matris vel contestationibus videar aliquatenus contraire. Non est visum Apostolico, quamvis grave sibi aliquantulum videretur, petitioni et voluntati huiuscemodi refragari: sed clausum diligenter defuncti corpus in locello marmoreo, et proprio insuper sigillo signatum, post septem dies dat ei licentiam recedendi. Tunc Romanus clerus simul cum Episcopis ac Cardinalibus et nobilibus Urbis consilio habito convenientes ad Apostolicum coeperunt dicere: Indignum nobis valde videtur, venerabilis Pater et Domine, ut tantum tamque magnificum virum, per quem tam pretiosum thesaurum Urbs et Ecclesia nostra recuperare promeruit, et quem Deus ex tam longinquis regionibus et exteris ad nos sua gratuita pietate perducere, et adhuc etiam ex hoc loco ad sua regna est dignatus assumere, qualibet interveniente occasione in alias patiamini partes transferri: sed hic potius placet, honorifice tumuletur, quia et dignum valde est, ut famae tam celebris homo, in tam celeberrima urbe, celebrem locum habeat sepulturae. Placuit hoc consilium Apostolico, et statuit ut in B. Petri basilica poneretur, in suo videlicet proprio monumento.

12.

Cernens Methodius iam suum defecisse propositum, oravit iterum dicens: Obsecro vos, Domini mei, quandoquidem non est placitum vobis, meam petitiunculam adimplere, ut in ecclesia B. Clementis, cuius corpus multo suo labore ac studio repertum huc detulit, recondatur. Annuit huiusmodi petitioni Praesul sanctissimus, et concurrente cleri ac populi maxima frequentia, cum ingenti laetitia et reverentia multa, simul cum locello marmoreo, in quo pridem illum praedictus Papa condiderat, posuerunt in monumento ad id praeparato in basilica B. Clementis ad dexteram partem altaris ipsius, cum hymnis et laudibus, maximas gratias agentes Deo: qui in loco eodem multa et mi-

randa operatur, ad laudem et gloriam nominis sui, per merita et orationes Sanctorum suorum, qui est benedictus et gloriosus in saecula saeculorum. Amen.

(Acta Sanctorum Bolland. Martii tom. II. Antverpiae 1668, pag. 19—21.)

4. Svědectví Anastasia bibliotekáře římského o sv. Konstantinovi-Cyrillovi.

I.

Ex Praefatione Anastasii bibliothecarii Romani in Concilium Constantinopolitanum IV. a. 869 habitum.

Ante annos aliquot Photius idem duarum unumquemque hominem animarum consistere praedicabat. Qui quum a *Constantino Philosopho*, magnae sanctitatis viro, fortissimo eius amico, increpatus fuisset, dicente: cur tantum errorem in populum spargens, tot animas interfecisti? respondit: Non studio quemquam laedendi, talia, inquit, dicta proposui; sed probandi, quid Patriarcha Ignatius ageret, si suo tempore quaelibet haeresis per syllogismos Philosophorum exorta patesceret, qui scilicet viros exterioris sapientiae repulisset; verum ignoravi me sub huius fomite propositionis tot animos fore laesurum. Ad quod ille: O sapientia mundi, quae infatuatur et destruitur! Jactasti sagittas in multitudinem copiosae turbae, et ignorasti quemlibet ex his omnibus vulnerandum. Certe omnibus liquet, quia sicut oculi quantumlibet sint magni et aperti, si fumus palearum interiacuerit, videre ultra non possunt; ita oculi sapientiae tuae quantumlibet sint ampli et patuli, avaritiae tamen et invidiae fumo penitus obcoecati, tramitem iustitiae videre non possunt. Ac per id verum est, quod dicis, neminem ictu tuo putasse esse laedendum, quum sic obcoecatum sensum praedictis adversum Patriarcham passionibus habens, nec quid emiseris praevidisti.

(*Mansi* Conc. Coll. Tom. XVI. pag. 6. — *Ginzel*, Cod. 43.)

II.

Ex Epistola eiusdem ad Karolum (Calvum) Regem a. 875.

Denique vir magnus et apostolicae vitae praeceptor *Constantinus Philosophus, qui Romam sub venerabilis memoriae Adriano iuniori*

papa veniens, S. Clementis corpus sedi suae restituit — quique totum codicem saepe memorati et memorandi patris memoriae commendabat, et quantum utilitatis medulla eius haberet, auditoribus commendabat, solitus erat dicere: quod si sanctos videlicet priores institutores nostros, qui haereticos vix et quodammodo cum fuste decollaverunt, Dionysium contigisset habere, cum acuto illos gladio procul dubio trucidassent. — Kalend. Aprilis. Indictione VIII.

(Veterum Epistolarum Hibernicarum sylloge. Collegit Jac. Usserius. Dublinii 1632. in IV. pag. 67. apud *Wattenbach,* Beiträge zur Geschichte der christl. Kirche in Mähren. Wien 1849. p. 14. — *Ginzel,* Cod. 44.)

III.

Epistola Anastasii apostolicae sedis bibliothecarii ad Gaudericum episcopum.

Sancto meritisque beato Gauderico egregio episcopo Anastasius peccator et exiguus apostolicae sedis bibliothecarius devotissimus perennem orat salutem.

1. Quia sanctitas tua, reverende pater, sanctae Veliternensi praeëst ecclesiae, ubi scilicet beati Clementis antiquitus insignis honor cum celebris memoriae titulo commendatur, non immerito mota est ad ipsius reverentiam sublimius excolendam, et vitae meritum ad multorum imitationem excellentius praedicandum. Neque enim aliunde sanctus coram Deo et hominibus comprobaris, nisi quia cum spiritu ergo sancto, quae sancta sunt, pio studio consectaris. Hinc eiusdem sancti martyris multa repertas cura reliquias apud eandem ecclesiam, cui praees, in templo nominis eius locasti. Hinc rursus oratoriam domum Romae mirae pulcritudinis aedificasti. Hinc totum acquisitae possesionis tuae patrimonium ipsi beato Clementi ac per eum domino Deo salubriter dedicasti. Hinc etiam viro peritissimo Johanni, digno Christi levitae, scribenda eius vitae actus et passionis historiam ex diversorum colligere Latinorum voluminibus institisti. Ad extremum hinc quoque mihi exiguo, ut si qua de ipso apud Graecos invenissem, Latinae traderem linguae, saepe iniungere voluisti. Cuius nimirum cum rerum gestarum monumentum iam Latinus habebat stilus, illa tantum occurrunt adhuc Romano transferenda sermoni, quae Constantinus Thessalonicensis philosophus, vir apostolicae vitae, super eiusdem reliquiarum beati Clementis inventione paulo ante descripsit. Verum quia reliquiarum huius inventionis fecimus mentionem, licet idem sa-

pientissimus vir tacito nomine suo in storiola sua qualiter acta sit strictim commemoret, ego tamen quae hinc ipse his verbis enarrare solitus erat, compendio pandam.

2. „Cum, inquit, ob nostrorum copiam peccatorum miraculum marini recessus, quod inter alia huius beati Clementis miracula lectitatur, apud Cersonam more solito a multis retro temporibus fieri minime cerneretur, mare quippe fluctus suos ad nonnullos retractos spatia in proprios sinus collegerat, coepit populus a veneratione, qua illuc a fidelibus, et potissimum die natalis eius, properabatur, quodam modo pedem subtrahere, praecipue cum in confinibus ille sit Romani locus imperii et a diversis barbarorum quam maxime nationibus frequentetur. Subducto itaque miraculo, quo carnales, ut mos se habet, populi delectabantur, et crescente circumquaque multitudine paganorum, qua sunt infirmiores quique soliti deterreri, immo quia ut evangelice perhibeatur, abundavit iniquitas, refriguit caritas multorum, desertus est et factus inhabitabilis locus, destructum templum, et tota illa pars Cersonicae regionis prope modum desolata est. Ita ut ubi Cersonis episcopus intra eandem urbem cum non plurima plebe remansisset, cerneretur, qui scilicet non tam urbis cives quam esse carceris habitatores, cum non auderent extra eam progredi, viderentur. Hac itaque causa factum est, ut ipsa quoque archa, in qua beati Clementis reliquiae conditae partim servabantur penitus obrueretur, ita ut nec esset iam memoria prae longitudine temporum, ubinam ipse foret archa, declarans“.

3. Haec quidem ille tantus ac talis revera philosophus. Ceterum cum apostolicae sedis missi nuper Constantinopolim pro celebranda synodo morarentur, ubi et me quoque alia pro causa legatione functum per idem tempus contigit inveniri, visum est nobis in commune huic rei ad liquidum indagandae omnem tribuere penitus operam, et a Metrophane, viro sanctitate ac sapientia claro, Smyrneorum metropoleos praesule, omnem super hac veritatis certitudinem discere, utpote qui sciretur a nobis penes Cersonam a Photio cum aliis exilio relegatus. Qui videlicet quanto loco propinquior, tanto re gesta doctior habitus, ea nobis hinc curiose sciscitantibus enarravit, quae praedictus philosophus fugiens arrogantiae notam referre non passus est. Perhibebat enim „quod idem Constantinus philosophus a Michaele imperatore in Gazaram pro divino praedicando verbo directus, cum Cersonam quae Chazarorum terrae vicina est pergens ac rediens frequentaret, coepit diligenter investigare, ubinam templum, ubi archa, ubi essent

illa beati Clementis insignia, quae monumenta super eo descripta liquido declarassent. Sed quod omnes accolae loci illius utpote non indigenae, sed ex diversis barbaricis gentibus advenae, immo valde saevi latrunculi, nescire se quae diceret, testabantur. Super quo stupefactus philosophus se in orationem multo tempore dedit Deum revelare, sanctum vero revelari corpus deposcens. Sed quod et episcopum cum clero plebeque gerendum salutiferis hortationibus excitavit, ostensoque ac recitato quid de passione quidve de miraculis, quid etiam de scriptis beati Clementis et praecipue quid de templi siti penes illos structura, et ipsius in ipsa conditione librorum numerositas commendabat; omnes ad illa litora fodienda et tam pretiosas reliquias sancti martyris et apostolici inquirendas ordine, quem ipse philosophus in historica narratione descripsit, penitus animavit". Huc usque praedictus Metrophanes.

4. Ceterum, quae idem mirabilis vere philosophus in huius honorabilium inventione reliquiarum solemniter ad hymnologicon Dei omnipotentis edidit, Graecorum resonant scolae. Sed et duo eius opuscula praedicata, scilicet *brevem historiam* et *sermonem declamatorium* unum, a nobis agresti sermone et longe ab illius facundiae claritate distante translata, opinionem commento monumentorum eius carptim addendo paternitatis tuae officio, quaeque iudicii tui cylindro polienda committo. Sane rotulam *hymni* quae et ad laudem dei et beati Clementis idem philosophus edidit, idcirco non transtuli, quia, cum Latine transiatur (?), hic pauciores, illi(c?) plurales syllabas generatum esset nec aptam nec sonoram cantus harmoniam redderet. Verum etsi hoc mihi a te, o vir desideriorum, imponitur, aggrediar, deo praeduce, quod hortaris. Quia etsi aliis non profuero scribendo, mihi tamen prodero saltem oboediendo.

5. Ceterum nolo sanctimoniam tuam latere, scripsisse beatum Clementem quaedam quae ad nostram notitiam nondum venere, quae admodum sanctus Dionysius Areopagites meminit Athenarum episcopus, et beatus Johannes Scythopolitanus, cuius doctrina inter gesta synodalia reperitur, quorum sensus super hac circumstantia iam dudum translatos invenies in codice iam memorati s. Dionysii Athenarum antistitis. Quos oportet ut et ipsi quoque operi, quod de vita beati Clementis instantia tua praedicto Christi levita sudante texitur, inseratur. Qualiter autem reliquiae ipsius semper memorandi Clementis crebro dicto asportante philosopho in Romam delatae atque reconditae sunt, non necesse habeo scribere, cum et ipse inspector factus non nescias, et scriptor vitae illius silentio, sicut credimus, non praetereat.

(*J. Friedrich*, Ein Brief des Anastasius bibliothecarius an den Bischof Gaudericus von Velletri über die Abfassung der „Vita cum translatione s. Clementis Papae". Eine neue Quelle zur Kyrillus- und Methodius-Frage. München, 1892.)

5. Listy papežské.

I.

Listy papeže Jana VIII.

1.

A. 872, 14. dec. — 14. maii 873.

Papa Johannes VIII. archiepiscopo Salisburgensi Alvino mandat, ut episcopum Methodium dioecesi Pannonicae restituat.

Alvino archiepiscopo [1]) (Johannes VIII.)

Ne mireris, quia diximus, te agente sedem a fratre nostro Methodio recipiendam, quia profecto dignum est, ut tu, qui fuisti eius auctor deiectionis, sis officii commissi causa receptionis.

Neues Archiv V, 301—2. nr. 19.

[1]) I. e. salisburgensi. Obiit a. 873, 14 maii. V. Auctarium Garstense. Mon. Germ. SS. IX, 565. Necrologium salisburg. Monumenta Boica XIV, 365 ss. Cf. Dümmler, Die pann. Leg. vom h. Methodius. Archiv für Kunde oesterr. Geschichtsquellen XIII, 192.

(*Fr. Miklošić* i *Fr. Rački*, Novo nadjeni spomenici. Starine XII, 213. — Cf. *Jaffé-Wattenbach*, Regesta pontif. Roman. Ed. sec. I. Lipsiae 1885, p. 379.)

2.

A. 873 ante m. sept.

Papa Johannes VIII. Paulo episcopo Anconitano, legato suo in Germaniam et Pannoniam, mandat, ut coram rege Ludovico ius sedis apostolicae in Pannonicam dioecesim defendat, archiepiscopos Alvinum et Hermanricum de illegali contra arch. Methodium procedendi modo arguat, Paulum et Methodium ad Sventopulcum proficisci vult.

Paulo episcopo Johannes VIII.

a. Ipse nosti, o gloriosissime rex,[1]) quod Pannonica dioecesis apostolicae sedi sit subiecta, licet bellica clades eam ad tempus ab illa subtraxerit et gladius ad horam hostilis subduxerit. Verum reddita ecclesiis pace reddi debuerunt et iura, quae cum pace reddita (sic) tyrannicus unicuique furor ademerat. Id ipsum sancto papa Leone in decretis canonicis, cum de reintegrando nuptiarum foedere scripserat, innuente ac dicente: remotis malis, quae hostilitas intulit, unicuique id, quod legitime habuit, reformetur.

b. Item. Si de annorum numero forte causatur, sciat Ludovicus rex, quia inter Christianos et eos, qui sunt unius fidei, numerus certus affixus est. Ceterum ubi paganorum et incredulorum furor in causa est, quantalibet praetereant tempora[1], iuri non praeiudicat ecclesiarum.

c. Item. Dic ergo iis:[2]) „Ego quidem ad sedem eius, qui per tres[3]) vim pertulit annos, recipiendam, non ad iudicium super dioecesim destinatus sum subeundum. Et certe secundum decretalia instituta prius eum reinvestiri convenit ministerio episcopi et postmodum ad rationem adduci, ut scilicet vestitus iuribus per annum et dimidium resumptis ad diffiniendam causam suam accedat.“ Porro si Alvinus[4]) cum Hermerico iudicium cum episcopo nostro Methodio[5]) inire voluerit, dic ad eos: „Vos sine canonica sententia damnastis episcopum ab apostolica sede missum, carceri mancipantes et colaphis affligentes et a sacro ministerio separantes et a sede tribus annis pellentes, apostolicam sedem per ipsum triennium plurimis missis et epistolis proclamantem. Non estis ad iudicium convenire dignati, quod profecto semper subterfugere curastis et nunc sine sede apostolica iudicium vos quaerere simulastis. Cum ergo ad hoc missus sim, ut tanto vos tempore a divinis ministeriis separem, quanto vos eundem venerabilem virum a ministerio sacro cessare coegistis; et ipse tanto tempore credito sibi episcopatu inconcusso ac sine quaestione fruatur, quanto constat illum vobis facientibus eo fuisse privatum. Sicque demum si habueritis in invicem, conveniatis,[6]) et coram sede apostolica pars audiatur et iudicetur utraque. Praesertim cum inter archiepiscopos causa versetur et conveniens non sit, ut inter utrumque alius nisi[7]) patriarcha iudex inveniatur. Nam et in negotiis minorum sacri canones ad sedem, ubi est maior auctoritas, partes destinare probantur.

d. Item 1. Ne suscipias occasionem excusationis prohibentem te vel fratrem nostrum Methodium transire ad Suentepulcum,[8]) sive

(sc. supradicti episcopi [9])) bella praetendant sive inimicitias [10]) congerant. Qui enim sancti Petri sunt, pacifici sunt; et quocumque ierint bellis a proximorum utilitate minime coercentur.

d. 2. De percussoribus vero Lazari monachi vide, ut secundum apostolorum canones a vobis iudicium proferatur.

Neues Archiv V, 302—3. nr. 20, ubi documenti a. solummodo argumentum adducitur. Documenti b. verba „sciat Ludovicus rex" in textibus hucadusque editis (Jaffé: Regesta pontif. Roman. nr. 2248) desunt. Fragmenta adfert Deusdedit (ed. cit. I, 195) sub titulo: „Joh. episcopus commonitorium Paulo episcopo fungenti legatione in Germaniam et Pannoniam." Item Ivo: Dec. VII, 223: „Idem (Joh. VIII) commonitorium Paulo", ubi etiam fragmentum: „Ceterum previde .... emendentur" adducitur, in quo viri, qui legitima uxore repudiata aliam duxerunt, hac repulsa ad priorem redire iubentur.

[1]) sc. Ludovicus, ad quem papa verba ista dirigi vult. — [2]) scilicet archiepiscopis Alvino salisburgensi et Hermanrico pataviensi. — [3]) „per te" in msc. — [4]) „Aluinum" msc. — [5]) „Methodio" msc. — [6]) „conveniastis" msc. — [7]) „sine" msc. — [8]) „Pentepulcum" msc. — [9]) subintelige Alvinum et Hermanricum. — [10]) „inimicias" msc.

(*Fr. Miklošić* i *Fr. Rački,* Novo nadjeni spomenici. Starine XII, 213—214. — Cf. *Jaffé-W.* I. p. 379—380.)

3.

A. 873. ante m. sept.

Papa Johannes VIII. archiepiscopum Hermanricum ob ipsius contra Methodium illegalem agendi modum suspendit, atque una cum episcopo Paulo et Methodio Romam citat.

Hemerico [1]) episcopo Johannes VIII.

Ad deflendam pravitatem tuam nonnisi fontem lacrimarum ut propheta Jeremias sufficere credimus. Cuius enim ut non dicamus episcopi, saecularis cuius, quin [2]) immo tyranni, saevitiam temeritas tua non excessit, vel bestialem feritatem non transcendit? Fratrem et coepiscopum nostrum Methodium carceralibus poenis afficiens et sub divo diutius acerrima hiemis et nimborum immanitate castigans atque ab ecclesiae sibi commissae regimine subtrahens, et adeo in insaniam veniens, ut in episcoporum consilium tractum equino flagello percuteres, nisi prohiberetur [3]) ab aliis. Sunt, rogo, haec episcopi, cuius

nimirum dignitas, si excesserit, maiora constituit[1]) crimina? O episcopum episcopo talia inferentum, et ad hoc apostolicae sedis manu sacrato et (e) latere destinato! Nolumus tamen nunc exagitare quae gesseris, ne cogamur indifferenter promulgare, quod convenit. Verum dei omnipotentis et beatorum principum apostolorum Petri et Pauli atque nostrae mediocritatis auctoritate interim communione Christi mysteriorum et consacerdotum tuorum (te) privamus; et nisi cum praesenti Paulo venerabili episcopo vel cum eodem sanctissimo fratre nostro Methodio Romam, cum ipso audiendus, occurreris, non deerit iusta damnatio, ubi talis et tanta fuerit inventa praesumptio; nec pondus apostolicae sedis auctoritatis frustrabitur, ubi tam gravis molis pravitatum immensitas conprobabitur.

Neues Archiv V, 303—4. nr. 21.

[1]) Hermanricus episcopus patavinus (Passau) c. 865—874 dec. 26. — [2]) „quam“ msc. — [3]) potius „prohibereris.“ — [4]) „consitunt“ msc. Ewald „consistunt.“ —

(*Fr. Miklošić* i *Fr. Rački*, Novo nadjeni spomenici. Starine XII, p. 214—215. — Cf. *Jaffé-W.* I. p. 380.)

4.

A. 873, ante 14. septembr.

Papa Johannes VIII. Frisingensem episcopum Annonem Romam citat, sui erga Methodium illegalis agendi modi rationem redditurum.

Annoni episcopo[1]) Johannes VIII.

Audacia tua et praesumptio non solum nubes sed et ipsos[2]) caelos transcendit. Usurpasti enim tibi vices apostolicae sedis et quasi patriarcha de archiepiscopo tibi iudicium vindicasti; immo quod est gravius, fratrem tuum Methodium archiepiscopum, legatione apostolicae sedis ad[3]) gentes fungentem, tyrannice magis quam canonice tractans, nec presbyterorum, qui penes te reperti sunt, iudicasti dignum consensu, quod nonnisi in contumeliam sedis apostolicae perpetrasti. Quin etiam petente illo, sacris canonibus edocentibus, ipsius sanctae (Romanae) sedis iudicium concedi minime permisisti; sed in eum cum sequacibus tuis et sociis quasi sententiam protulisti,[4]) (et) a divinis celebrandis[5]) officiis illum sequestrans carceri mancipasti. Insuper et cum proprium sancti Petri hominem esse te diceres, ut patrimonii in Germania siti curam gereres, istius fratris et coepiscopi, quin potius et missi nostri, de quo nobis maiore cura debebatur,

vincula et insecutiones non solum ut fidelis minime nunciasti, sed Romae, (cum) super eo interrogareris a nostris, te illum nosse mentiendo negasti, cum cunctarum afflictionum sibi a vestratibus illatarum ipse incentor, ipse instigator, immo ipse fueris auctor. De quibus omnibus, nisi adeo fuerit eiusdem venerandi episcopi conditio [6]) sana effecta, ut ipse possit omnem suam oblivioni propter deum iniuriam tradere, Romam rationem redditurus indifferenter accurre. Alioquin post mensem Septembrem tamdiu communicandi nullam habeas licentiam, quamdiu non oboediendo tuam erga nos ostenderis pertinaciam.

Neues Archiv V, 304. nr. 22.

[1]) Frisingensi a. 854—875. — [2]) „ipso“ msc. — [3]) „adf“ msc. — [4]) „pertulisti“ msc. — [5]) „celebrandisque“ msc. — [6]) „contricio“ msc.

(*Fr. Miklošić* i *Fr. Rački*, Novo nadjeni spomenici. Starine XII, 215—216. — Cf. *Jaffé-W.* I. p. 380.)

5.

A. 873.

Johannes P. VIII. Karolomanno regi Methodium, ordinatum episcopum Pannoniensem, commendat.

„Johannes episcopus glorioso viro Carolomanno. Reddito ac restituto nobis Pannoniensium episcopatu, liceat fratri nostro Methodio, qui illis a sede apostolica ordinatus est, secundum priscam consuetudinem libere, quae sunt episcopi, gerere.“

(*A. Boczek*, Codex diplom. et epistol. Moraviae. Olomucii 1836. I. pag. 36. — *Erben*, Regesta diplom. nec non epistolaria Bohemiae et Moraviae. Pragae 1855. I. pag. 16. — *Ginzel*, Cod. 57—58. — *Rački*, V. i. d. 298. — *Jaffé-W.* I, p. 378.)

6.

A. 879, 18. Kalend. Julii.

Johannes P. VIII. Methodium, archiepiscopum Pannoniensem (Moraviensem) ad reddendam doctrinae suae rationem et ritus Slavici in Moraviam inducti Romam evocat.

Johannes episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo Methodio archiepiscopo Pannoniensis ecclesiae. — Praedicationis tuae

doctrinis populum domini tibi quasi spiritali pastori commissum salvare instruereque cum debeas, audivimus, quod non ea, quae sancta Romana ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit, et quotidie praedicat, tu docendo doceas, et ipsum populum in errorem mittas. Unde his apostolatus nostri litteris tibi iubemus, ut omni occasione postposita ad nos de praesenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus et cognoscamus, utrum sic teneas, et sic praedices, sicut verbis ac litteris te sanctae Romanae ecclesiae credere promisisti, aut non, veraciter cognoscamus doctrinam tuam. Audimus etiam, quod missas cantes in barbara, hoc est in Sclavina lingua. Unde iam litteris nostris, per Paulum episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua sacra missarum solemnia celebrares, sed vel in Latina, vel Graeca lingua, sicut ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa, et in omnibus gentibus dilatata cantat. Praedicare vero, aut sermonem in populo facere tibi licet, quum psalmista omnes commonet Deum gentes laudare, et apostolus omnis inquit lingua confiteatur, quia Ihesus in gloria est Dei Patris. — Data XVIII. Kalendas Julii, Indictione XII.

(*Boczek* p. 39. s. ad exemplum ex Regestis pontificiis, cui per *M. Marini*, Tabulariorum Praefectum, fides facta. — *Erben* l. c. p. 17. exhibet hanc epistolam, prout ipsam *Palacký* in Tabulariis Vaticanis descripsit sub d. XIII. Kal. Jul. — *Ginzel*, Cod. 58. — *Rački*, V. i d. 321—322.)

7.

A. 879, 18. Kal. Julii.

Johannes P. VIII. Sventopulcum, ducem Moraviae, ad fidem hortatur, miraturque, Methodium archiepiscopum aliter, quam sit professus, docere, ac ideo illum Romam esse vocatum insinuat.

Johannes episcopus, servus servorum Dei, Zuventapu de Maravna. Scire vos volumus, quia nos, qui per Dei gratiam beati Petri apostolorum principis vicem tenemus, pio amore vos quasi carissimos filios amplectimur et paterna dilectione amamus nostrisque assiduis precibus vos omnes Jhesu Christo Domino commendamus orantes semper pro vobis, ut Deus omnipotens, qui corda vestra inluminavit et ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet et usque ad finem in recta fide bonaque actione decoratos vos atque incolumes dignetur perducere. Quod autem, sicut Johanne presbytero vestro,

quem nobis misistis, referente didicimus, in recta fide dubitetis, monemus dilectionem vestram, ut sic teneatis, sic credatis, sicut sancta Romana ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit, tenuit et usque ad finem saeculi tenebit, atque per totum mundum quotidie sanctae fidei verba rectaque praedicationis semina mittit, et sicut antecessores nostros, sanctos videlicet sedis apostolicae praesules parentes vestros ab initio docuisse cognoscitis. Si autem aliquis vobis, vel episcopus vester, vel quilibet sacerdos, aliter adnunciare aut praedicare praesumpserit, zelo Dei accensi uno animo unaque voluntate doctrinam falsam abiicite, stantes et tenentes traditionem sedis apostolicae. Quia vero audivimus, quia Methodius vester archiepiscopus ab antecessore nostro Hadriano scilicet papa ordinatus vobisque directus aliter doceat, quam coram sede apostolica se credere et verbis et litteris professus est, valde miramur. Tamen propter hoc direximus illi, ut absque omni occasione ad nos venire procuret, quatenus ex ore eius audiamus, utrum sic teneat et credat, sicut promisit, aut non. Data ut supra.

(*Boczek* l. c. pag. 40 sq. — *Erben* l. c. p. 16 sq. sub d. XIV. Kal. Jul. — *Ginzel*, Cod. 59. — *Rački* V. i. d. 322.)

8.

A. 880, mense Julio.

Johannes P. VIII. ad Sventopulcum comitem. Gratulatur de eius et subditorum illius observantia erga sedem apostolicam, recipit eos in fidem suam, ostendit Methodium archiepiscopum orthodoxam fidem fuisse professum, cuius iura confirmat eumque ad eos regendos remittit. Nitriensis ecclesiae episcopum Wichingum consecratum significat, et alium ad se vult mitti, quem alteri ecclesiae praeficiat. Jubet omnes ipsi archiepiscopo Methodio oboedire: concedit ut divina officia sclavinica lingua recitari possint, dummodo evangelium honorificentiae causa latine prius recitetur.

Dilecto filio Sfentopulcho glorioso comiti. Industriae tuae notum esse volumus, quoniam confratre nostro Methodio reverendissimo archiepiscopo sanctae ecclesiae Marabensis, una cum Semisisno, fideli tuo, ad limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli, nostramque pontificalem praesentiam veniente atque sermone lucifluo referente, didicimus tuae devotionis sinceritatem et totius populi tui desiderium, quod

circa sedem apostolicam et nostram paternitatem habetis. Nam, divina gratia inspirante, contemptis aliis saeculi huius principibus beatum Petrum apostolici ordinis principem vicariumque illius habere patronum et in omnibus adiutorem ac defensorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis et cum omni populo terrae tuae amore fidelissimo elegisti; et usque ad finem, sub ipsius et vicarii eius defensione colla summittens, pio affectu cupis, auxiliante Domino, utpote filius devotissimus, permanere. Pro qua scilicet tanta fide ac devotione tua et populi tui apostolatus nostri ulnis extensis te quasi unicum filium amore ingenti amplectimur; et cum omnibus fidelibus tuis paternitatis nostrae gremio, veluti oves Domini nobis commissas, recipimus, vitaeque pabulo clementer nutrire optamus atque nostris assiduis precibus omnipotenti te Domino commendare studemus: quatenus sanctorum apostolorum suffragantibus meritis, et in hoc saeculo adversa omnia superare, et in caelesti postmodum regione, cum Christo Deo nostro valeas triumphare. Igitur hunc Methodium, venerabilem archiepiscopum vestrum, interrogavimus coram positis fratribus vestris episcopis, si orthodoxae fidei symbolum ita crederet, et inter sacra missarum sollemnia caneret, sicuti sanctam Romanam ecclesiam tenere et in sanctis sex universalibus synodis a sanctis patribus, secundum evangelicam Christi Dei nostri auctoritatem promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est, se iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, sicuti sancta Romana ecclesia docet et a patribus traditum est, tenere ac psallere. Nos autem illum in omnibus ecclesiasticis doctrinis et utilitatibus orthodoxum et proficuum esse reperientes, vobis iterum ad regendam commissam sibi ecclesiam Dei remisimus, quem veluti pastorem proprium ut digno honore et reverentia laetaque mente recipiatis iubemus, quia nostrae apostolicae auctoritatis praecepto eius archiepiscopatus et ei privilegium confirmavimus, et in perpetuum, Deo iuvante, firmum manere statuimus; sicuti antecessorum nostrorum auctoritate omnium ecclesiarum Dei iura et privilegia statuta et firmata consistunt, ita sane, ut iuxta canonicam traditionem omnium negotiorum ecclesiasticorum curam habeat ipse et ea, velut Deo contemplante, dispenset. Nam populus Domini illi commissus est et pro animabus eorum hic redditurus erit rationem. Ipsum quoque presbyterum, nomine Wichingum, quem nobis direxisti, electum episcopum consecravimus sanctae ecclesiae Nitrensis; quem suo archiepiscopo in omnibus oboedientem, sicuti sancti canones docent, esse iubemus, et volumus, ut pariter cum ipsius archiepiscopi consensu et providentia et alterum nobis apto tempore utilem presbyterum vel diaconum

dirigas, quem similiter in alia ecclesia, in qua episcopalem curam noveris esse necessariam, ordinemus episcopum; ut cum his duobus a nobis ordinatis episcopis praefatus archiepiscopus vester, iuxta decretum apostolicum, per alia loca, in quibus episcopi honorifice debent et possunt exsistere, postmodum valeat ordinare. Presbyteros vero, diacones, seu cuiuscunque ordinis clericos, sive Sclavos, sive cuiuslibet gentis, qui intra provinciae tuae fines consistunt, praecipimus esse subiectos et oboedientes in omnibus iam dicto confratri nostro, archiepiscopo vestro, ut nihil omnino praeter eius conscientiam agant. Quod si contumaces et inoboedientes exsistentes scandalum aliquod aut schisma facere praesumpserint, et post primam et secundam admonitionem se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab ecclesiis et finibus vestris auctoritate nostra praecipimus esse procul abiiciendos, secundum auctoritatem capitulorum, quae illi dedimus et vobis direximus. Litteras denique Sclaviniscas a Constantino quondam philosopho repertas, quibus Deo laudes debitae resonent, iure laudamus; et in eadem linqua Christi domini nostri praeconia et opera enarrentur iubemus. Neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur, quae praecipit dicens: Laudate dominum omnes gentes et collaudate eum omnes populi. Et apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc et Paulus caelestis quoque tuba insonat monens: Omnis lingua confiteatur, quia dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris. De quibus etiam linguis in prima ad Corinthios epistola satis et manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes ecclesiam Dei aedificemus. Nec sanae fidei vel doctrinae aliquid obstat, sive missas in eadem Sclavinica lingua canere sive sacrum evangelium vel lectiones divinas novi et veteris testamenti bene translatas et interpretatas legere aut alia horarum officia omnia psallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebraeam scilicet, Graecam et Latinam, ipse creavit et alias omnes ad laudem et gloriam suam. Jubemus tamen, ut in omnibus ecclesiis terrae vestrae propter maiorem honorificentiam evangelium Latine legatur et postmodum Sclavinica lingua translatum in auribus populi, Latina verba non intelligentis, adnuncietur, sicut in quibusdam ecclesiis fieri videtur. Et si tibi et iudicibus tuis placet, missas Latina lingua magis audire, praecipimus, ut Latine missarum tibi sollemnia celebrentur. Data mense Junio, indictione XIII.

(*Boczek* l. c. p. 44 sq. — *Erben* l. c. p. 17 sq. — *Ginzel*, Cod. 59 sq. — *Rački*, Viek i djel. 337—339.)

9.

A 881, X. Kal. Aprilis.

Johannes P. VIII. Methodium, archiepiscopum Moraviensem, a fidei orthodoxae cultu eiusque propagandae studio laudat, et de malis, quae perpessus est, humanissime solatur.

Johannes episcopus, servus servorum Dei. Methodio archiepiscopo pro fide. Pastoralis sollicitudinis tuae curam, quam in lucrandis animabus fidelium Domino Deo nostro exhibes, approbantes, et orthodoxae fidei te cultorem strenuum existere contemplantes, nimis in eodem Domino iucundamur et ei immensas laudes et gratias agere non cessamus, qui te magis ac magis in tuis mandatis accendat et ad sanctae suae ecclesiae profectum ab omnibus adversitatibus clementer eripiat. Verum auditis per tuas litteras variis casibus vel eventibus tuis, quanta compassione tibi condoluerimus ex hoc advertere poteris, in quo te coram nobis positum sanctae Romanae ecclesiae doctrinam iuxta sanctorum patrum probabilem traditionem sequi debere monuimus, et tam symbolum, quam rectam fidem a te docendam, et praedicandam sub(di)dimus, nostrisque apostolicis litteris glorioso principi Sfentopulcho, quas ei asseris fuisse delatas, hoc ipsum significavimus, et neque aliae litterae nostrae ad eum directae sunt, neque episcopo illi palam vel secreto aliud faciendum iniunximus, et aliud a te peragendum decrevimus. Quanto minus credendum est, ut sacramento ab eodem episcopo exigeremus, quem saltem levi sermone super hoc negotio allocuti non fuimus. Ideoque cesset ista dubietas, et Deo cooperante, sicut evangelica et apostolica se habet doctrina, orthodoxae fidei cultum fidelibus cunctis inculca, ut de labore tui certaminis Domino Jesu Christo fructum afferas abundantem, et gratia eius remuneratus mercedem recipias competentem. Ceterum de aliis tentationibus, quas diverso modo perpessus es, noli tristari, quin potius hoc secundum Apostolum omne gaudium prorsus existima, quia si Deus pro te, nemo esse poterit contra te, tamen cum, Deo duce, reversus fueris, quidquid inhormiter adversum te est commissum, quidquid iam dictis epistolis (fortasse: dictus episcopus) contra suum ministerium in te exercuit, utramque audientiam coram nobis discussam, adiuvante Domino, legitimo fini trademus, et illius pertinaciam iudicii nostri sententia corripere non ommittemus. Data X. Kalend. Aprilis, Indictione XIV.

(*Boczek* l. c. p. 44 sq. — *Erben* l. c. p. 18 sq. — *Ginzel*, Cod. 62—63. — *Rački*, V. i d. 344—345.)

II.

Instrukce a list papeže Štěpána V. z r. 885.

1.

Instructio papae Stephani V. legatis ad principem Sventopulcum emissis. Usus linguae Slavicae in sacris, a sancto Methodio introductus, prohibetur; successor ab ipso constitutus ab officio suspenditur.

Commonitorium Dominico episcopo, Johanni et Stephano (presbyteri)s [1]) euntibus ad Sclavos. [2])

a. Cum Deo propitio ingressi (S)clavorum fines fueritis, tanta vos ornate modestia, ut vestri vestrorumque hominum [3]) actus exemplum religionis praebeant rudi populo; habentes prae oculis monentem Dominum, ut videant vestra opera bona et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est. [4]) Cum veneritis ad ducem patriae [5]), dicite ei: Visitant vos apostolorum principes beatus Petrus regni caelestis claviger et Paulus doctor gentium. Dominus autem Stephanus sanctissimus pontifex sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae et universalis papa, spiritalis videlicet pater vester, visitat vos et mandat vobis amabilem paternitatem; amplectitur enim vos spiritaliter et diligit sicut unicum et carissimum filium. Omnes sanctissimi episcopi, presbyteri et diaconi cum reliquo clero sanctae Romanae ecclesiae optant vobis salutem; habent enim assidue vestri memoriam in suis Deo dignis orationibus apud beatissimorum apostolorum principum limina. Omnis honorabilis senatus a Deo conservandae Romanae urbis cum reliquo coetu fidelis populi mandant vobis salutes; desiderant enim omni prosperitate vos in Christi Dei nostri fide pollere et saeculi gloria gaudere.

Primo die haec dixisse sufficiant, et si de patriae salute interrogaverint, quae ad honorificentiam pertinent christianae religionis, ecclesiae honoris, decentiae imperialis prudenter respondete.

b. Item. Spiritus sanctus a Patre et Filio, nec ingenitus dicitur, ut [6]) duo patres, nec genitus, ut duo filii, sed procedens dicitur. Si dixerint: Prohibitum est (a) sanctis patribus symbolo addere aliquid vel minuere, dicite: Sancta Romana ecclesia custos est et confirmatrix sanctorum dogmatum, quia in catholica fide principis apostolorum vicaricatione in nullo vacillat, ipso dicente Domino: Simon, ecce Satanas expetiit vos, ut cribraret quasi triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus cofirma fratres

tuos.[7]) Haec omnes errantes ad fidem duxit ecclesia et vacillantes roboravit, non immutando sancta dogmata sed aut non intelligentibus aut male sentientibus exponendo.[8])

Cap. XII. Missas et sacratissima illa ministeria (fortasse: mysteria), quae Sclavorum lingua idem Methodius celebrare praesumpsit, quamvis decessoris sui temporibus,[9]) domni videlicet Johannis sanctissimi papae, iuraverit, se ea ulterius non praesumere, apostolica auctoritate, ne aliquo modo praesumatur, penitus interdicit. Veruntamen si aliquis Sclavorum lingua tam doctus invenitur, ut post sacratissimam evangelicam,[10]) apostolicam lectionem eius explicationem doctus sit dicere ad aedificationem eorum, qui non intelligunt, et laudat, si fiat, et concedit et approbat.

Cap. XIII. De veneratione ieiuniorum firmiter tenete,[11]) sicut in sua decrevit epistola;[12]) quia assidue pro viribus ieiunare laudabile est; corpori etiam consulere, naturale; et festis diebus largiori pabulo corpus sobrie reficere peccato non imputatur; si tamen cum gratiarum actione et corpus reficitur, et salubre poculum animae ministratur.

Cap. (X)IIII. Successorem, quem Methodius sibimet contra omnium sanctorum patrum statuta constituere praesumpsit,[13]) ne ministret,[14]) nostra apostolica auctoritate interdicite, donec suam nobis praesentiam exhibeat, et causam viva voce exponat.

N. Archiv V, 408—10, nr. 31. Immediate sequitur qua explanatio, „ratio de symbolo fidei" inter papam Leonem III. et missos Caroli M. a. 809. Baronii annal. eccl. ad a. 809. nr. LVII., LX.

[1]) vel „(diaconi)s". — [2]) „Scalituos" msc. ad marginem „ad Sclavos". — [3]) „omnium" msc. — [4]) Matth. V, 16 — [5]) Subintelligitur „Suentopucus" vide sup. nr. 2. — [6]) „ne" msc — [7]) Luc. XXII, 31. 32. — [8]) Quae subsequuntur capitula XII, XIII et XIV dempta sunt e constitutionibus, quas papa legatis suis verbotenus exponenda commisit; quare de se in tertia persona loquitur. — [9]) „decessoris nostri, sui" msc. — [10]) „evangelicam" ad marginem. — [11]) „tenere" msc. — [12]) ad Sventopulcum Johannes VIII. — [13]) Gorazdum. — [14]) „ministrat" msc. —

(*Fr. Miklošić* i *Fr. Rački*, Novo nadjeni spomenici. Starine XII, 220—221. — Cf. *Jaffé-W.* I, p. 428.)

2.

Epistola Stephani papae ad Sventopulcum regem.

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, Zventopolco regi Sclavorum. Quia te zelo fidei sanctorum apostolorum principi Petro

videlicet regni caelestis clavigero, omni devotione devovisti, eiusque vicarium prae cunctis huius fluctivagi saeculi principibus principalem patronum elegisti, eiusque te cum primatibus ac reliquo terrae populo tuitioni pariter commisisti: continuis precibus Deum bonorum omnium largitorem exoramus, ut ipsius muniaris suffragio, in cuius manu sunt omnia iura regnorum, quatenus eius vallatus auxilio et interventionibus apostolorum principum Petri et Pauli et a diabolicis muniaris insidiis, et corporali sospitate laeteris, ut anima et corpore tutus ab aeterno iudice bonis operibus decoratus, perpetua felicitate doneris. Nos etiam qui eius vicariatione fungimur, debitam sollicitudinem pro te gerentes in quocumque indigueris negotio, in his quae ad salutem tuam pertinent Deo auxiliante protectorem invenies in omnibus. Quem ob fidei dignitatem cum omnibus tuis fidelibus, nulla terrarum obsistente intercapedine, spiritualibus ulnis quasi praesentem amplectimur amore ut spiritualem filium. Igitur quia orthodoxae fidei anhelare te studio audivimus, et certo indicio ex hoc agnoscimus, quod ad matrem tuam sanctam videlicet Romanam ecclesiam recurrere voluisti, quae caput est omnium ecclesiarum, collato sibi privilegio in beato Petro principe apostolorum, cui suas oves verus pastor commissit dicens: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam — portas inferi, ora orthodoxam fidem blasphemantium appellans; quae auctore Christo omnes haereses destruxit, et vacillantes omnes in fide solidavit creatoris sui munita auxilio, dicente domino nostro Jesu Christo: Simon, ecce satanas expetiit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quis rogo nisi insipiens in tantum audeat blasphemiae baratrum mergi, ut Petri fidem infamet? pro quo verbum Dei in duabus naturis existens, quod natura servi autem natura contulit Deitatis. Tuam devotionem amplectimur, volentem discere, ut prudentiam tuam digna attollamus laude, quae non alibi vagari, sed ipsam quae caput est studuit consulere, a qua etiam omnes ecclesiae sumpserunt exordium. Verum tamen fundamentum fidei super quod suam Christus constituit ecclesiam istud est: Tres certae personae subsistentes, patris et filii et spiritus sancti coaeternae sibi sunt et coaequales, et istarum trium personarum una est Deitas natura, una substantia, una divinitas, una maiestas. In quibus personis discretio est non confusio, distinctio non separatio. Distinctionem dico, quia alia est persona patris, alia filii, alia spiritus sancti; pater enim a nullo, filius a patre, spiritus sanctus ab utroque, unius eiusdemque substantiae cuius pater et filius est. Et haec

sancta trinitas, unus et verus Deus est, quae nec initio incipit aut fine clauditur, nec loco comprehenditur, nec tempore variatur. Pater enim solus de alio non est, et ideo solus ingenitus appellatur, filius autem de patre sempiternus filius et ideo genitus dicitur, spiritus vero sanctus patris et filii est spiritus sine ullo intervallo, ubi nulla tempora quaeque habent prius vel posterius, sunt cogitanda: et ideo nec ingenitus nec genitus, sed procedens dicitur, nec duo patres nec duo filii credantur. Quod filii sit spiritus, apostolus et in evangelista testatur: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius; et Paulus apostolus quod patris filiique sit spiritus testatur: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu; si tamen spiritus dei habitat in vobis. Et iterum ut patris sit spiritus, lucidissime distinguit dicens: Quod si spiritus eius qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, vivificavit et mortalia corpora vestra. Ut vero filii sit spiritus, idem Paulus testatur: Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda nostra, clamantem abba pater. Ut a patre procedat, ipsa veritas dicit: Spiritus qui a patre procedit, ille me clarificavit. Ut a filio procedat eodem veritas testatur: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Absit enim, ut spiritus sanctus credatur de patre in filium, et de filio ad sanctificandam creaturam quasi quibusdam gradibus procedere, sed quemadmodum de patre ita et de filio simul procedit. Quis enim negabit esse spiritum sanctum vitam? et cui vita pater, vita sit filius; sicut pater vitam habet in semet ipso, sic dedit et filio vitam habere in semet ipso. Haec tibi de multis pauca dixisse sufficiant, quae te absque ambiguitate lingua confiteri et corde oportet credere sed non ultra vires examinare. Quia solis corporei radio oculorum retunditur intuitus, quanto magis ineffabilis Deitatis claritate terrena mens retunditur. Hanc fidem a domino in apostolos et (ab) apostolis fundatam sancta catholica et apostolica Romana tenet ecclesia: quam tu ut firmiter teneas monemus, exoramus et testificamus. In qua et Wichingum venerandum episcopum et carissimum confratrem ecclesiastica doctrina eruditum repperimus, et ideo eum vobis ad regendam sibi commissam a Deo ecclesiam remisimus, quia fidelissimum eum tibi, et pro te satis sollicitum in omnibus agnovimus. Quem veluti spiritualem patrem et proprium pastorem digno honore et debita reverentia sincera mente recipite, tenete et amplectimini, quia in eo exhibitum honorem Christo conferitis, ipso dicente: Qui vos recipit, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Ipse itaque omnium ecclesiasticorum negotiorum (et) officiorum habeat curam, et Dei timorem prae oculis habens dispenset eadem, quia et pro his et pro animabus commissi sibi

populi ipse redditurus erit districto iudici rationem. De ieiunio itaque scias a lege, prophetis et ab ipso domino in evangelio approbatum. Moyses namque ut legem acciperet quadraginta diebus et noctibus ieiunavit. Elias qui caelum orando clausit, ut non plueret annos tres et menses sex, et rursum orando aperuit, et caelum dedit pluviam et terra dedit fructum suum, quadraginta diebus et noctibus ieiunavit. Auctor et ipse legis Jesus Christus dominus noster quadraginta diebus et noctibus ieiunavit. Siquis vero ieiunium reprobat, reprobet et orationem et blasphemet esse malum daemones eiici, dicente domino: Hoc genus non eiicitur nisi oratione et ieiunio. Praeceptum quippe est ieiunare, sed quibus diebus sit ieiunandum quibusve prandendum, praecepto domini vel apostolorum non est diffinitum assertione, sed antiqua patrum consuetudine tenet ecclesia, quia et priorum instituta et consuetudo maiorum pro lege tenenda sunt. Quarta feria ieiunandum est, quia considerato evangelio quarta sabbati Judaei consilium inierunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Sexta autem sabbati recte ieiunio deputatur, propter dominicae passionis reverentiam. Sabbato quoque nihilominus ieiunandum est propter renovandam memoriam rei gestae, quia discipuli dominum humane intellegentes eo die in sepulcro quiescentem doluerunt. Quintam vero feriam quidam arbitrati sunt esse dissolutam, quia eo die reconciliatio sit poenitentium, et eo die sanctum chrisma conficitur, et eo die redemptor cum discipulis coenavit, et iis sacramentum sui corporis et sanguinis tradidit, eo die videntibus discipulis ad caelos ascendit. Dominicus certe dies propter resurrectionis gloriam et adventum sancti spiritus laetitiae consecratus est. Duos qui remanent, proprio uniuscuiusque relinquamus arbitrio; in quibus id observandum censeo, ut qui manducat non manducantem non spernat, et qui non manducat manducantem non iudicet, ut quidquid agimus, in gloria Dei faciamus. Jeiunium scilicet quod quatuor temporum dicitur antiqui patres celebrandum non frustra sanxerunt, dicente psalmista: Benedicam dominum in omni tempore, ut singulis quibusque temporibus anni humiliemus animam in ieiunio. Primi itaque mensis ieiunium dominus in exodo, quarti, septimi et decimi ieiunium per Zachariam prophetam celebrari praecepit, ut qui omni tempore de misericordia confidamus poenitendo. Haec tibi de ieiunio pauca dixisse sufficiant, quamvis plurima dici possent eius mysteria quae nunc exponere non est temporis. Hoc tamen ieiunium Deo prae ceteris acceptabile credito: dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentis, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Quod his adornandum est monilibus: Frange esu-

rienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam. Has scias Deo acceptabiles lampades, quibus ieiunium adornandum est quotidie, ut Deo sit placitum. Methodium namque superstitioni non aedificationi, contentioni non paci insistentem audientes plurimum mirati sumus; et si ita est ut audivimus, superstitionem eius penitus abdicamus. Anathema vero pro contemnenda catholica fide, qui indixit in caput redundabit eius. Tu autem et populus tuus sancti spiritus iudicio eritis innoxii, si tamen fidem quam Romana praedicat ecclesia tenueritis inviolabiter. Divina autem officia et sacra mysteria ac missarum sollemnia, quae idem Methodius Sclavorum lingua celebrare praesumpsit, quod ne ulterius faceret supra sacratissimum beati Petri corpus iuramento firmaverat, sui periurii reatum perhorrescentes nullo modo deinceps a quolibet praesumatur. Dei namque nostraque apostolica auctoritate sub anathematis vinculo interdicimus, excepto quod ad simplicis populi et non intelligentis aedificationem attinet, si evangelii vel apostoli expositio ab eruditis eadem lingua annuncietur, et largimur et exhortamur, et ut frequentissime fiat monemus, ut omnis lingua laudet Deum et confiteatur ei. Contumaces autem et inoboedientes, contentioni et scandalo insistentes, post primam et secundam admonitionem si se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab ecclesiae gremio abiici sancimus, et ne una ovis morvida totum gregem contaminet nostro vigore refrenari et a vestris finibus procul excludi praecipimus.

(*Wilh. Wattenbach*, Beiträge zur Geschichte der christl. Kirche in Mähren und Böhmen. Wien, 1849, str. 43 sl. — *Ginzel*, Cod. 63—67. — Cf. *Jaffé-W.* I., p. 428.)

6. De conversione Bagoariorum et Carantanorum libellus (scriptus anno 871).

3. Hactenus praenotatum est qualiter Bagoarii facti sunt christiani seu numerus episcoporum et abbatum conscriptus in sede Juvavensi. Nunc adiiciendum est, qualiter Sclavi qui dicuntur Quarantani et confines eorum[1]) fide sancta instructi christianique effecti sunt, seu quomodo Huni[2]) Romanos et Gothos atque Gepidos de inferiori Pannonia expulerunt et illam possederunt regionem, quousque Franci ac Bagoarii cum Quarantanis continuis affligendo bellis eos superaverunt. Eos autem qui oboediebant fidei et baptismum sunt consecuti,

tributarios fecerunt regum, et terram quam possident residui, adhuc pro tributo retinent regis usque in hodiernum diem.

4. *Nunc recapitulandum est de Quarantanis.* Temporibus gloriosi regis Francorum Dagoberti Samo quidam nomine Sclavus manens in Quarantanis fuit dux gentis illius. Qui venientes negotiatores Dagoberti regis interficere iussit et regia expoliavit pecunia. Quod dum conperit Dagobertus rex, misit exercitum suum, et damnum quod ei idem Samo fecit vindicare iussit. Sicuti fecerunt qui ab eo missi sunt et regis servitio subdiderunt illos.[3]) Non multo post tempore coeperunt Huni eosdem Quarantanos hostili seditione graviter affligere. Fuitque tunc dux eorum Boruth nomine qui Hunorum exercitum contra eos iturum Bagoariis nunciari fecit rogavitque eos sibi in auxilium venire. Illi quoque festinando venientes expugnaverunt Hunos et obfirmaverunt Quarantanos, servitutique eos regum subiecerunt, similiterque confines eorum. Duxeruntque inde secum obsides in Bagoariam. Inter quos erat filius Boruth nomine Cacatius, quem pater eius more christiano nutrire rogavit et christianum facere; sicut et factum est. Et de Cheitmaro filio fratris sui similiter postulavit. Mortuo autem Boruth, per iussionem Francorum Bagoarii Cacatium iam christianum factum petentibus iisdem Sclavis remiserunt, et illi eum ducem sibi fecerunt. Sed ille postea tertio anno defunctus est. Iterum autem permissione domni Pippini regis ipsis populis petentibus redditus est iis Cheitmar christianus factus. Cui etiam Lupo presbyter ordinatus de Juvavensi sede in insulam Chemingi lacus, quae et Auua vocatur[4]), dedit ei nepotem suum nomine Maioranum ad presbyterum iam ordinatum. Et quia conpater eius erat idem Lupo presbyter docuit eum ut ad Juvavense monasterium se devota mente ad christianitatis officium subdidisset. Quem suscipientes idem populi ducatum illi dederunt. Ille vero secum habens Maioranum presbyterum in Juvavensi monasterio ordinatum ad presbyterum. Qui admonuit eum ad ipsum monasterium suum caput declinare in servitium Dei. Et ille ita fecit, ac promisit se ad ipsam sedem serviturum. Sic et fecit atque annis singulis ibidem suum servitium persolvebat, et inde semper doctrinam et officium christianitatis percepit usque dum vixit.

5. Peractis aliquantis temporibus praenominatus dux Quarantanorum petiit Virgilium episcopum visitare populum gentis illius, eosque in fide firmiter confortare. Quod ille tunc minime adinplere valuit, sed sua vice misso suo episcopo nomine Modesto ad docendam illam plebem, et cum eo Wattonem, Reginbertum, Cozharium atque Latinum

presbyteros suos, et Ekihardum diaconum cum aliis clericis, dans ei licentiam ecclesias consecrare et clericos ordinare iuxta canonum diffinitionem, nihilque sibi usurpare quod decretis sanctorum patrum contrairet. Qui venientes Quarantanis dedicaverunt ibi ecclesiam sanctae Mariae,[5]) et aliam in Liburnia civitate,[6]) seu ad Undrimas,[7]) et in aliis quam plurimis locis. Ibique permansit usque ad vitae suae finem. Eo igitur defuncto episcopo, postulavit iterum idem Cheitmar dux Virgilium episcopum, si fieri posset ut ad se veniret. Quod ille renuit orta seditione quod carmula dicimus. Sed inito consilio misit ibidem Latinum presbyterum, et non multo post orta alia seditione exivit inde ipse Latinus presbyter. Sedata autem carmula misit iterum Virgilius episcopus ibidem Madalhohum presbyterum, et post eum Warmanum presbyterum. Mortuo autem Cheitmaro et orta seditione aliquot annis nullus presbyter ibi erat, usque dum Waltunc dux eorum misit iterum ad Virgilium episcopum, et petiit ibidem presbyteros mittere. Qui tunc misit eis Heimonem presbyterum et Reginbaldum presbyterum atque Maioranum diaconum cum aliis clericis. Et non multo post misit iterum ibidem eundem Heimonem et Dupliterum ac Maioranum presbyteros et alios clericos cum iis. Iterumque misit eis Gozharium presbyterum, Maioranum et Erchanbertum. Post eos Reginbaldum et Reginharium presbyteros. Ac deinde Maioranum et Augustinum presbyteros. Iterumque Reginbaldum et Gundharium. Et hoc sub Virgilio factum est episcopo.

6. *Item anacephalaeosis de Avaris.* Antiquis enim temporibus ex meridiana parte Danubii in plagis Pannoniae inferioris et circa confines regiones Romani possederunt, ipsique ibi civitates et munitiones ad defensionem sui fecerunt, aliaque aedificia multa, sicut adhuc apparet. Qui etiam Gothos et Gepidos suae ditioni subdiderunt. Sed post annos nativitatis domini 377 et amplius Huni ex sedibus suis in aquilonari parte Danubii in desertis locis habitantes, transfretantes Danubium expulerunt Romanos et Gothos atque Gepidos. De Gepidis autem quidam adhuc ibi resident. Tunc vero Sclavi post Hunos inde expulsos coeperunt istis partibus Danubii diversas regiones habitare. Sed nunc qualiter Huni inde expulsi sunt, et Sclavi inhabitare coeperunt, et illa pars Pannoniae ad dioecesim Juvavensem conversa est, edicendum putamus.

Igitur Carolus imperator anno nativitatis domini 796 Aericum comitem destinavit, et cum eo immensam multitudinem Hunos exterminare. Qui minime resistentes reddiderunt se per praefatum comitem

Carolo imperatori. Eodem igitur anno misit Carolus Pippinum filium suum in Hunia cum exercitu multo; qui perveniens usque ad celebrem eorum locum qui dicitur Rinch, ubi iterum omnes eorum principes se reddiderunt Pippino. Qui inde revertens partem Pannoniae circa lacum Pelissa inferioris, ultra fluvium qui dicitur Hrapa, et sic usque ad Dravum fluvium et eo usque ubi Dravus fluit in Danubium, prout potestatem habuit, praenominavit cum doctrina et ecclesiastico officio procurare populum qui remansit de Hunis et Sclavis in illis partibus, Arnoni Juvavensium episcopo usque ad praesentiam genitoris sui Caroli imperatoris. Postmodum ergo anno 803 Carolus imperator Bagoariam intravit et in mense Octobrio Salzpurc venit, et praefatam concessionem filii sui iterans potestative multis adstantibus suis fidelibus adfirmavit et in aevum inconvulsam fieri concessit.

7. Simili modo etiam Arn episcopus successor Virgilii [8]) sedis Juvavensis deinceps curam gessit pastoralem, undique ordinans presbyteros et mittens in Sclaviniam, in partes videlicet Quarantanas atque inferioris Pannoniae illis ducibus atque comitibus, sicut pridem Virgilius fecit. Quorum unus Ingo vocabatur, multum carus populis et amabilis propter suam prudentiam. Cui tam oboediens fuit omnis populus ut si cuique vel charta sine litteris ab illo directa fuit, nullus ausus est suum neglegere praeceptum. Qui etiam mirabiliter fecit.

Vere servos credentes secum vocavit ad mensam, et qui eorum dominabantur infideles, foris quasi canes sedere fecit, ponendo ante illos panem et carnem et fusca vasa cum vino, ut sic sumerent victus. Servis autem staupis [9]) deauratis propinare iussit. Tunc interrogantes primi deforis dixerunt: Cur facis nobis sic? At ille: Non estis digni, non ablutis corporibus, cum sacro fonte renatis communicare; sed foris domum ut canes sumere victus. Hoc facto fide sancta instructi certatim cucurrerunt baptizari. Et sic deinceps religio christiana succrescit.

8. Interim contigit anno videlicet nativitatis Domini 798, Arnonem iam archiepiscopum a Leone papa accepto pallio [10]) remeando de Roma venisse ultra Padum eique obviasse missum Caroli cum epistola sua, mandans illi ipso itinere in partes Sclavorum ire et exquirere voluntatem populi illius et praedicare ibi verbum Dei. Sed quia hoc facere nequivit antequam responsum referret suae legationis, festine perrexit ad imperatorem, et retulit ei quidquid per eum domnus Leo papa mandavit. Post expletam legationem ipse imperator praecepit Arnoni archiepiscopo pergere in partes Sclavorum et providere omnem

illam regionem, et ecclesiasticum officium more episcopali colere, populosque in fide et christianitate praedicando confortare. Sicut ille fecit illuc veniendo, consecravit ecclesias, ordinavit presbyteros, populumque praedicando docuit. Et inde rediens nunciavit imperatori quod magna utilitas ibi potuisset effici, si quis inde habuisset certamen.[11]) Tunc interrogavit illum imperator, si aliquem habuisset ecclesiasticum virum, qui ibi lucrum potuisset agere Deo. Et ille dixit se habere talem, qui Deo placuisset, et illi populo pastor fieri potuisset. Tunc iussu imperatoris ordinatus est Deodericus episcopus ab Arnone archiepiscopo Juvavensium; quem ipse Arn et Geroldus comes[12]) perducentes in Sclaviniam, dederunt in manus principum, commendantes illi episcopo regionem Carantanorum et confines eorum occidentali parte Dravi fluminis, usque dum Dravus fluit in amnem Danubii, ut potestative populum regeret sua praedicatione, et evangelica doctrina doceret servire Deo, et ut ecclesias constructas dedicasset, presbyteros ordinando constituisset, totumque ecclesiasticum officium in illis partibus prout canonicus ordo exposcit perficeret, dominationem et subiectionem habens Juvavensium rectorum. Sicut ille fecit quamdiu vixit.

9. Post diem vero transitus de hoc saeculo Arnonis archiepiscopi, anno nativitatis Domini 821 Adalrammus piissimus doctor sedem Juvavensem suscepit regendam. Qui inter cetera beneficiorum opera finito cursu Deodorici episcopi, prout Arn archiepiscopus antea Deodorico episcopo Sclavos commisit, ita et iste Ottonem constituit episcopum. Ipse enim Adalrammus anno nativitatis Christi 824 pallium accepit ab Eugenio papa, rexitque gregem sibi commissum 15 annos; eoque superna clementia vocante a nexibus corporis absoluto, Liuprammus venerabilis praedictae sedis pontificatum accepit pastor anno 836. Quem Gregorius papa pallio honoravit. Qui innumerabilibus Deo placitis operibus peractis, sidereas conscendit sedes, anno nativitatis Christi 859. Cui successor quem ipse nutrivit Adalwinus venerabilis praesul, pallio honoratus a Nicolao papa, ad praesens enitet tempus, cum omni regens diligentia divinitus sibi gregem commissum. Quorum temporibus, Liuprammi videlicet ac Adalwini archiepiscoporum, Osbaldus episcopus Sclavorum regebat gentem, prout iam priscis temporibus iam dicti episcopi fecerunt, subiecti episcopis Juvavensium. Et adhuc ipse Adalwinus archiepiscopus per semetipsum regere studet illam gentem in nomine Domini, sicut iam multis in illis regionibus claret locis.

10. Enumeratis itaque episcopis Juvavensium, conamur, prout veracius in chronicis imperatorum et regum Francorum et Bagoariorum

scriptum repperimus, scire volentibus manifestare. Postquam ergo Carolus imperator Hunis reiectis episcopatus dignitatem Juvavensis ecclesiae rectori commendavit, Arnoni videlicet archiepiscopo et suis successoribus tenendi perpetualiter atque regendi perdonavit, coeperunt populi sive Sclavi vel Bagoarii inhabitare terram, unde illi expulsi sunt Huni, et multiplicari. Tunc primus ab imperatore constitutus est confinii comes Goterammus, secundus Werinharius, tertius Albricus, quartus Gotafridus, quintus Geroldus.[13]) Interim vero, dum praedicti comites orientalem procurabant plagam, aliqui duces habitaverunt in illis partibus ad iam dictam sedem pertinentibus. Qui comitibus praefatis subditi fuerunt ad servitium imperatoris; quorum nomina sunt Priwizlauga, Cemicas, Ztoimar, Etgar. Post istos vero duces Bagoarii coeperunt praedictam terram dato regum habere in comitatum, nomine Helmwinus, Albgarius et Pabo.[14]) His ita peractis,[15]) Ratbodus suscepit defensionem termini. In cuius spatio temporis quidam Priwina exulatus a Moimaro duce Maravorum supra Danubium venit ad Ratbodum. Qui statim illum praesentavit domno regi nostro Hludwico, et suo iussu fide instructus baptizatus est in ecclesia sancti Martini loco Treisma nuncupato, curte videlicet pertinenti ad sedem Juvavensem.[16]) Qui et postea Ratbodo commissus, aliquot cum illo fuit tempus. Interim exorta est inter illos aliqua dissensio, quam Priwina timens fugam iniit in regionem Vulgariam cum suis, et Chozil filius eius cum illo. Et non multo post de Vulgariis Ratimari ducis adiit regionem. Illoque tempore Hludowicus rex Bagoariorum misit Ratbodum cum exercitu multo ad exterminandum Ratimarum ducem.[17]) Qui diffisus se defendi posse, in fugam versus est cum suis qui caedem evaserunt. Et praedictus Priwina substitit et cum suis pertransivit fluvium Sawa, ibique susceptus a Salachone comite pacificatus est cum Ratbodo.

11. Aliqua vero interim occasione percepta, rogantibus praedicti regis fidelibus praestavit rex Priwinae aliquam inferioris Pannoniae in beneficium partem circa fluvium qui dicitur Sala.[18]) Tunc coepit ibi ille habitare et munimem[19]) aedificare in quodam nemore et palude Salae fluminis et circumquaque populos congregare ac multum ampliari in terra illa. Cui quondam[20]) Adalrammus archiepiscopus ultra Danubium in sua proprietate loco vocato Nitrava consecravit ecclesiam. Sed postquam praefatum munimen aedificavit, construxit infra primitus ecclesiam, quam Liuprammus archiepiscopus cum in illa regione ministerium sacerdotale potestative exercuit, in illud veniens castrum in honore sanctae Dei genitricis Mariae consecravit

anno videlicet 850. Ibi fuerunt praesentes Chezil, Unzat, Chotemir, Liutemir, Zcurben, Siliz, Wulkina, Witemir, Trebiz, Brisnuz, Zuemin, Zeska, Crimisin, Goimer, Zistilo, Amalrih, Altwart, Wellehelm, Fridepercht, Scrot, Gunther, item Gunther, Arfrid, Nidrih, Jsanpero, Rato, Deotrih, item Deotrih, Madalperht, Engilhast, Waltker, Deotpald. Ipsi viderunt et audierunt complacitationem illo die inter Liuprammum et Priwinonem quo illa dedicata est ecclesia, id est IX. Kalendas Februarias. Tunc dedit Priwina presbyterum suum nomine Dominicum in manus et potestatem Liuprammi archiepiscopi, et Liuprammus illi presbytero licentiam concessit in sua dioecesi missam canendi, commendans illi ecclesiam illam et populum procurandum sicut ordo presbyteratus exposcit. Indeque rediens idem pontifex et cum eo Chezil consecravit ecclesiam Sandrati presbyteri, ad quam Chezil territorium et silvam ac prata in praesentia praefatorum virorum tradidit et circumduxit hoc ipsum terminum. Tunc quoque ad ecclesiam Ermperhti presbyteri quam memoratus praesul consecravit, tradidit Chezil sicut Engildeo et filii eius duo et Ermperht presbyter ibi habuerunt, et circumduxit praefatos viros in ipsum terminum. Transactis namque fere duorum aut trium spatiis annorum ad Salapiugin consecravit ecclesiam in honore sancti Hrodberti; quam Priwina cum omni supraposito tradidit Deo et sancto Petro atque sancto Hrodberto perpetuo in usum fructuarium viris Dei Salzburgensium habendi. Postmodum vero roganti Priwinae misit Liuprammus archiepiscopus magistros de Salzpurc murarios et pictores, fabros et lignarios, qui infra civitatem Priwinae honorabilem ecclesiam construxerunt, quam ipse Liuprammus aedificari coepit officiumque ecclesiasticum ibidem colere peregit. In qua ecclesia Adrianus martyr humatus pausat. Item in eadem civitate ecclesia sancti Johannis baptistae constat dedicata, et foris civitatem in Dudleipin, in Ussitin, ad Businiza, ad Bettobiam, ad Stepiliperc, ad Lindolveschirichun, ad Keisi, ad Wiedhereschirichun, ad Jsangrimeschirichun, ad Beatuseschirichun, ad Quinque basilicas[21]) temporibus Liuprammi ecclesiae dedicatae sunt; et ad Otachareschirichun et ad Paldmunteschirichun, ceterisque locis ubi Priwina et sui voluerunt populi. Quae omnes temporibus Priwinae constructae sunt et consecratae a praesulibus Iuvavensibus.

12. Pervenit ergo ad notitiam Hludowici piissimi regis quod Priwina benevolus fuit erga Dei servitium et suum; quibusdam fidelibus suis saepius ammonentibus, concessit illi in proprium totum quod prius habuit in beneficium, exceptis illis rebus quae ad episcopatum Juvavensis ecclesiae viderentur pertinere, scilicet ad sanctum Petrum prin-

cipem apostolorum et beatissimum Hrodbertum ubi ipse corpore requiescit, ubi tunc ad praesens rector venerabilis Liuphrammus archiepiscopus praeesse dinoscitur.[22]) Ea ratione diffinivit domnus senior noster rex easdem res quae tunc ad ipsum episcopum in ipsis locis conquaesitae sunt et quae inantea Deo propitio augeri possunt, ut sine ullius hominis contradictione et iudiciaria consignatione illibatae ad ipsa loca supra dictorum perpetualiter perseverare valeant. Isti fiebant praesentes; nomine Liuphrammus archiepiscopus, Erchanbertus episcopus,[23]) Erchanfridus episcopus,[24]) Hartwigus episcopus,[25]) Karolomannus, Hludowicus, Ernust, Ratpot, Werinheri, Pabo, Fritilo, Tacholf, Deotrih, Waninc, Gerolt, Liutolt, Deotheri, Wolfregi, Jezi, Egilolf, Puopo, Adalperht, Megingoz, item Adalperht, Odalrih, Pernger, Managolt. Actum loco publico in Reganespurc, anno Domini 848. Indictione XI, sub die IIII Idus Octobris.[26]) Quamdiu enim ille vixit, nihil minuit ecclesiasticarum rerum, nec subtraxit de potestate praedictae sedis, sed ammonente archiepiscopo prout valuit augere studuit, quia ad augmentum servitii Dei primitus post obitum Dominici presbyteri Swarnagal presbyter ac praeclarus doctor illuc missus est cum diaconis et clericis. Post illum vero Altfridum presbyterum et magistrum cuiusque artis Liuphrammus direxit; quem Adalwinus successor Liuphrammi archipresbyterum ibi constituit, commendans illi claves ecclesiae curamque post illum totius populi gerendam. Similiterque eo defuncto Rihpaldum constituit archipresbyterum. Qui multum tempus ibi demoratus est, exercens suum potestative officium sicut illi licuit archiepiscopus suus, usque dum quidam Graecus Methodius nomine noviter inventis Sclavinis litteris linguam Latinam doctrinamque Romanam atque litteras auctorales Latinas philosophice superducens vilescere fecit cuncto populo ex parte[27]) missas et euangelia ecclesiasticumque officium illorum qui hoc Latine celebraverunt. Quod ille ferre non valens sedem repetivit Juvavensem.

13. Anno igitur 865 venerabilis archiepiscopus Juvavensium Adalwinus nativitatem Christi celebravit in castro Chezilonis noviter Mosapurc vocato, quod illi successit moriente patre suo Priwina quem Maravi occiderunt. Ibique illo die officium celebravit ecclesiasticum, sequentique die in proprietate Wittimaris dedicavit ecclesiam in honore sancti Stephani protomartyris. Die vero Kal. Jan. ad Ortahu consecravit ecclesiam in honore sancti Michaelis archangeli in proprietate Chezilonis. Idem eodem anno ad Weride in honore sancti Pauli apostoli Jd. Januariis dedicavit ecclesiam. Item in eodem anno XIX. Kal. Febr. ad Spizzun in honore sanctae Margaretae virginis

ecclesiam dedicavit. Ad Termperch dedicavit ecclesiam in honore sancti Laurentii.[28]) Ad Fizkere eodem anno dedicavit ecclesiam. Et singulis proprium dedit presbyterum ecclesiis. Sequenti quoque tempore veniens iterum in illam partem causa confirmationis et praedicationis contigit illum venisse in locum qui dicitur Cella, proprium videlicet Unzatonis, ibique apta fuit ecclesia consecrandi. Quam dedicavit in honore sancti Petri principis apostolorum, constituitque ibi proprium presbyterum. Ecclesiam vero Ztradach dedicavit in honore sancti Stephani. Item in Weride ecclesia dedicata floret in honore sancti Petri principis apostolorum. Postea vero tres consecravit ecclesias, unam ad Quartinaha in honore sancti Johannis euangelistae, alterum ad Muzzilihes-chirichun, tertiam ad Ablanza, quibus constituit proprios presbyteros.

14. A tempore igitur quo dato et praecepto domni Caroli imperatoris orientalis Pannoniae populus a Juvavensibus regi coepit praesulibus usque in praesens tempus sunt anni LXXV, quod nullus episcopus alicubi veniens potestatem habuit ecclesiasticam in illo confinio nisi Salzburgenses rectores neque presbyter aliunde veniens plus tribus mensibus ibi suum ausus est colere officium, priusquam suam dimissoriam episcopo praesentavit epistolam. Hoc enim ibi observatum fuit usque dum nova orta est doctrina Methodii philosophi-

[1]) Ex iis, quae sequuntur patebit, horum Carantanorum et confinium eorum nomine intelligi Slavos reliquos, qui e Norico releguntur per totam Pannoniam, exceptis hodierna Slavonia et Sirmio in dextra inferioris Dravi ripa, quippe tum Bulgarorum ditioni parentibus; exceptisque ex parte etiam Slavis Carniolanis qui Aquilegiensium patriarchatum opera fuerant conversi. Hic nonnisi Salisburgensium missionariorum res gestae enarrantur; idque eo fine ut ostendatur, iis iniuria tunc intrudi ab ipso summo pontifice Graecum Methodium. Kopitar. — [2]) i. e. Avares, de quibus v. cap. 6. — [3]) Haec minus accurate narrata esse, collato Fredegarii chronico patet. Dagoberti copias Samo apud Wogastisburc profligavit (Fred. c. 68.); sed hac parte Langobardi ei Alamanni copias ipsius vicerunt. Postea Slavos Carantanos liberos sub ducibus suae gentis vixisse, auctor ipse indicat, sed non multo post facta esse ait quae plus centum annis post evenerunt. — [4]) ubi postea monasterium Chiemsee constructum est. — [5]) De civitate Carentana et campo Zollfeld egit Zeuss, Die Deutschen und ihre Nachbarstämme p. 617. n. In ecclesia S. Mariae in Solio (Maria-Saal) sepulchrum Modesti episcopi ostenditur, v. Eichhorn, Beiträge zur Gesch. v. Kärnthen I, 113. 141. — [6]) cuius nomen manere videtur in campo Lurnfeld, ubi nunc Spital situm est, in Karinthia superiore. — [7]) Nomen vallis inter S. Vitum et S. Mariam in Solio sitae. Eichhorn, Beitr. II, 95. — [8]) Virgilius obiit 784 Nov. 27, ubi in Necrologio scriptum est: Virgilius episcopus Juvavensis Scottigena. – [9]) i. e. poculis. — [10]) Epistola Leonis qua pallium Arnoni confertur, data est 12. Kal. Mai. hoc ipso anno. — [11]) i. e. huius rei diligentem curam. Du Cange, Gloss. — [12]) Geroldus, Hildegaris reginae frater, qui inde ab a. 788 Bawariae curam gerebat, Kal.

Sept. a. 799 ab Avaribus occisus est. Illa igitur initio eius anni facta esse videntur, sub cuius finem Arn reducendi Romam Leonis papae munus suscepit. Inscriptionem de aedificata ab hoc Theodorico ecclesia, ad S. Stephanum in valle Gailthal repertam, refert Ambr. Eichhorn, Beitr. II, 88. — [13]) Hos 5 comites simul eodem tempore diversis locis praefuisse existimabat Kopitarius. Quod mihi (sc. Wattenbacho) secus videtur. Goterhammus quidam a. 802 interfectus est ad castellum Guntionis (Güns?), Ann. S. Emm. min. SS. I, 93. Werinharius cum Adulfo a. 805 Bawariis praefectus erat, Chr. Moissiac. SS. I, 307; Warnarius ad Lauriacum, Audulfus ad Ragenisburg praevidebat, Mon. Leg. I, 133. Cotafrid a. 823 magnorum virorum placito praesedit, Meichelb. Hist. Fris. Instr. I, 434, Geroldum denique a. 826 cum Baldrico Avarici limitis custodem fuisse ex Einhardi Annalibus constat. — [14]) Pabonem a. 861 per Karlomannum expulsum memorant Annales S. Rudb. Salisb. cum Auctario Garstensi; cf. Ann. Fuldenses et Hincmari. — [15]) scil. cum Baioarii isti terram in comitatum recepissent; his enim comitibus Ratbodus praefuisse videtur, is scil. quem a. 859 tanquam infidelem depositum fuisse novimus. Mon. Boic. XXVIII, 50. — [16]) Traismauer, ubi Trasen fluvius Danubio miscetur. — [17]) Huc pertinere videntur verba: 838. Exercitus Baioariorum contra Ratimarum colligitur, in Auct. Garst. et Annalibus S. Rudb. Salisburgensibus. — [18]) qui lacui Blatensi miscetur; v. infra cap. 13. — [19]) quod postea Mosapurc vocatum est. — [20]) scil. antequam a Moimaro pulsus est. Adalrammus initio a. 836 obiit. Locus autem ille urbs Neitra esse videtur. — [21]) Si hoc loco Fünfkirchen supra Bettobiam Pettau interpretari licet, magnum sane ditionis Priwinae ambitum habebimus. „Bettowe" a. 874 ad Gozwinum comitem pertinebat. Auct. Garst. SS. IX, 565. — [22]) Servatis privilegii verbis auctor vocem „tunc" satis inepte inseruit. — [23]) Frisigensis. — [24]) Ratisponensis hoc ipso anno mortuo 2. Idus Jan. Baturico ordinatus secundum Ann. S. Emm. minores, SS. I, 93. — [25]) Pataviensis; deinde sequntur filii regis, Ernust dux inter amicos regis primus (Ann. Fuld. a. 849), Ratpot Avarici, Tacholf Sorabici limitis dux, et multi partium illarum comites. — [26]) Hludowicus rex teste Annalista Fuldensi a. 848 circa Kal. Oct. generale placitum Moguntiae habuit, ubi legatos Sclavorum audivit. Ibidem 4. Id. Nov. Osnabrugensi ecclesiae privilegium concessit. Anni incarnationis in privilegiis ipsius non indicantur, qua re minuitur auctoritas numeri 848, qui tantum computationi auctoris nostri debeatur. Equidem (sc. Wattenbach) indictionem, quae mense Sept. a. 847 incipiebat, observans, anno 847 haec tribuere malim, etsi reclamante Erchanfrido episcopo. Sed frequentes in Annalibus sunt eius generis errores. — [27]) Bene interpretatus et summus Dobrovius; ex parte scil. Slavorum, nam Bawariorum quidem, qui Nostro auctore „cum Slavis inhabitabant has terras" quorumque Bawarica ecclesiarum nomina ad Isangrimeschirichun et similium satis indicant parochias, vix quidquam intererat, sive latine sive Slavinice sacra, fierent. At intererat Salisburgensium ne latius serperet exemplum. Kopitar. — [28]) Commemoratur in Auctario Garst. SS. IX, 565. —

(*W. Wattenbach*, Mon. Germ. hist. SS. XI, 6—14.)

7. Epistola Theotmari Juvavensis ecclesiae archiepiscopi et aliorum episcoporum Bavariensium ad Johannem P. IX. scripta a. 900.

Queruntur unum archiepiscopum et episcopos tres in Slavorum Moravorum terris, prius Pataviensi episcopo subiectis, creatos esse.

Summo pontifici et universali papae, non unius urbis, sed totius orbis, domino Johanni, Romanae sedis gubernatori magnifico, humillimi paternitatis vestrae filii: Theotmarus Juvavensis ecclesiae archiepiscopus, Waldo Frisingensis, Erchenpaldus Eystatensis, Zacharias Saebonensis, Tutto Ratisponensis, Richarius Pataviensis ecclesiae episcopus, nec non et universus clerus, populusque christianus per totam Noricam, quae et Bawaria vocatur, prosperum in salvatore nostro profectum, catholicae pacis augmentum et regnum optamus aeternum.

Antecessorum vestrorum decretis et catholicorum patrum instituti plenissime instruimur, in omnibus nostro ministerio sacerdotali obstantibus et adversantibus Romanum appellare pontificem: ut, quod ad unitatem concordiae et ad custodiam pertinet disciplinae, nulla dissensione violetur, sed ab ipso summa provisione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa sancta et apostolica sede, quae nobis sacerdotalis mater est dignitatis, et origo christianae religionis, profluxerit quippiam perversitatis, sed doctrina et auctoritas ecclesiasticae rationis. Sed venerunt, ut ipsi promulgaverunt, de latere vestro tres episcopi, videlicet Johannes archiepiscopus, Benedictus et Daniel episcopi, in terram Slavinorum, qui Moravi dicuntur: quae regibus nostris et populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in cultu christianae religionis quam in tributo substantiae saecularis; quia exinde primum imbuti et ex paganis Christiani facti sunt. Et idcirco Pataviensis episcopus civitatis, in cuius dioecesi sunt illius terrae populi ab exordio christianitatis eorum, quando voluit et debuit, illuc nullo obstante intravit, et synodalem cum suis, et etiam ibi inventis, conventum frequentavit, et omnia quae agenda sunt potenter egit, et nullus ei in faciem restitit. Etiam et nostri comites illi terrae confines placita saecularia illic continuaverunt, et quae corrigenda sunt, correxerunt, tributa tulerunt, et nulli iis restiterunt; usque dum incessente corda eorum diabolo christianitatem abhorrere, et omnem iustitiam detrectare belloque lacessere et obsistere saevissime coeperunt: adeo ut via

episcopo et praedicatoribus illuc non esset, sed libitu suo egerunt quae voluerunt. Nunc vero, quod grave nobis videtur et incredibile, in augmentum iniuriae iactitant se magnitudine pecuniae id egisse: qualia de illa Apostolica sede numquam audivimus exiisse, neque canonum decreta sanxisse, ut tantum schisma una pateretur ecclesia. Est enim unus episcopatus in quinque divisus. Intrantes enim praedicti episcopi in nomine vestro, ut ipsi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque episcopatu unum archiepiscopum (si tamen in alterius episcopatu archiepiscopium esse potest) et tres suffraganeos eius episcopos, absque scientia archiepiscopi, et consensu episcopi, in cuius fuerunt dioecesi. Cum in concilio Africano cap. XX. decertum sit, ut plebes quae in dioecesibus ab episcopis retinentur, quae numquam episcopos habuerunt, nonnisi cum voluntate eius episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores vel episcopos. Et item in eodem concilio cap. LXV. ut plebes, quae numquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex concilio plenario uniuscuiusque provinciae et primatis, atque consensu eius, ad cuius dioecesin eadem plebs pertinebat, episcopos minime accipiant. In decretis papae Leonis cap. XV. scriptum est: Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui a provincialibus episcopis cum metropolitani iudicio non consecrantur. Item cap. XLIX. Si indignis quibusque et longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium et gubernatio ecclesiae detur: non est hoc consulere populis, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen. Et in eodem capite post pauca: Difficile est, ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio. Et in decreto papae Coelestini antecessoris vestri cap. XVII. continetur, ne alicui locus concedatur sacerdoti in alterius iniuriam.

Antecessor vester Zuentibaldo duce impetrante Wichingum consecravit episcopum; et nequaquam in illum antiquum Pataviensem episcopatum eum transmisit, sed in quandam neophytam gentem, quam ipse dux domuit bello, et ex paganis Christianos esse patravit. Cum autem iisdem Sclavis locus familiaritatis apud legatos vestros dabatur, accusabant nos et diffamabant nos in multis et verbis mendacibus instabant quia nemo iis vera respondebat, dicentes: nos et cum Francis et Alemannis scandalum et discordiam habuisse; cum hoc falsum esse ex hoc convincitur, quia amicissimi nostri sunt et caritative cooperantes. Et etiam cum ipsis impacatos nos esse accusabant; quod non nostra culpa exigente, sed sua protervia faciente, ita fatemur esse. Quia quando christianitas illis coepit vilescere, et insuper debitum tributum senioribus nostris regibus, et principibus eorum solvere respuerunt, belloque

resistere et gentem nostram coeperunt lacessere, orta est seditio inter illos. Et quoniam armis si eos defenderint, in servitium redegerint: idcirco iure proprio tributarios habere debuerunt et debent; et sive velint sive nolint, regno nostro subacti erunt. Quapropter oportet vos ab alto speculari, et moderaminis temperiem prae omnibus tenere, ne peior pars confortetur, et melior infirmetur.

Progenitores namque serenissimi senioris nostri, Hludovici videlicet, imperatores et reges ex christianissima Francorum gente prodierunt. Moravi vero Sclavi a paganis et ethnicis venerunt. Illi potentia imperiali Romanam rempublicam sublimaverunt, isti damnaverunt. Illi christianum regnum confortaverunt, isti infirmaverunt. Illi toto mundo spectabiles apparuerunt, isti latibulis et urbibus occultati fuerunt. Illorum consilio apostolica sedes pollebat, istorum persecutione christianitas dolebat. In omnibus his iuvenculus rex noster, nulli praedecessorum suorum secundus, nulli et inferior, sed secundum virtutem a Deo sibi datam sanctae Romanae ecclesiae et vobis, summo pontifici, cum omnibus regni sui principibus adiutor optat esse fortissimus. Omne namque regnum divinitus sibi commissum ad Dei servitium suumque adiutorium unum vult et operatur. Unde et pace viget, et concordia gratulatur, atque ad vestram paternitatem, sicut patres sui, se pertinere laetatur.

Quod nos praefati Sclavi criminabantur, cum Ungaris fidem catholicam violasse, et per canem seu lupum aliasque nefandissimas et ethnicas res sacramenta et pacem egisse, atque ut in Italiam transirent pecuniam dedisse: si vobis coram posito ratio inter nos agitaretur ante Deum, qui cuncta novit antequam fiant, et coram vobis qui vicem eius apostolicam tenetis, eorum falsitas manifestaretur et innocentia nostra probaretur. Quia enim Christianis nostris longe a nobis positis semper imminebant et persecutione nimia affligebant, donavimus illis nullius pretiosae pecuniam substantiae, sed tantum nostra linea vestimenta; quatenus aliquatenus eorum feritatem molliremus et ab eorum persecutione quiesceremus. Talia namque, ut praescripsimus, iuxta malitiam cordis sui argumentantes, et pontifices vestros ad iniuriam nostram incitantes; adeo ut directa nobis epistola, quasi ab apostolica sede, haec omnia improperabant et diversas iniurias ingerebant, atque inter alia divino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur enim in nobis, quod quidam sapiens ait: Justus tulit crimen iniqui. Ipsi enim crimen quod nobis falso semel factum imposuerunt, multis annis peregerunt. Ipsi Ungarorum non modicam multitudinem ad se sumpserunt, et more eorum capita suorum pseudo-

christianorum penitus detonderunt et super nos Christianos immiserunt; atque ipsi supervenerunt et alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum fame et siti perdiderunt, innumeros vero exitio deputarunt et nobiles viros ac honestas mulieres in servitium redegerunt, ecclesias Dei incenderunt et omnia aedificia deleverunt; ita ut in tota Pannonia, nostra maxima provincia, tantum una non appareat ecclesia, prout episcopi a vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quantos dies transierint et totam terram desolatam viderint.

Quando vero Ungaros Italiam intrasse comperimus, pacificare cum iisdem Sclavis teste Deo multum desideravimus, promittentes iis, propter Deum omnipotentem ad perfectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque acta, et omnia reddere, quae de suis nostros constaret habere; quatenus ex illis securos nos redderent et tamdiu spatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare et res sancti Petri defendere populumque christianum divino adiutorio redimere liceret. Et nec ipsum ab iis obtinere potuimus, ut post tanta maleficia haberent beneficia; et sunt falsi accusatores, qui semper fuere Christianorum persecutores.

Si quis in toto mundo aliorsum nos oberrasse et iustitiae restitisse probare conetur, veniat praesens, et eum ludificasse nosque de hac re sentietis purissimos esse. Idcirco singuli omnesque admonendo precamur, ne ullo modo alicui falso de nobis aliquam suspicionem referenti creduli sitis, antequam opportunitas exigat, ut huius rei gratia missus de vestra celsitudine nobis, aut a nostra parvitate directus appareat vobis. Communis gemitus et generalis dolor angustat, quos Germania et tota tenet Norica, quod unitas ecclesiae dividitur scissura. Est enim, ut praemisimus, unus episcopatus in quinque divisus. Ideo si quid fraus maligni Sclavorum calliditate adduxerit, iustitia avertat. Vosque virtute ex alto induti et Apostolica potestate armati iuxta Prophetam: quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate, quod abiectum reducite; ut deinceps populus et fidei integritate gratuletur, et sancta ecclesia tranquilla devotione laetetur.

Theotmarus indignus archiepiscopus et Apostolicarum rerum procurator promptissimus. Pecuniam vestro iuri debitam, propter infestam paganorum saevitiam, nec per me poteram nec per alios transmittere; sed quia Dei gratia liberata est Italia, quantocius potero, vobis transmittam. Precatur nostra humilitas, ut dignetur vostra sublimitas respondere per singula transmissa cum epistola.

Alme Pater mundi, dignus praenomine Petri,
Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris;
Sisque tuis famulis protector verus, et ipsos
Commendes Domino, coelo qui praesidet alto.

(*Harduin*, Acta Concil. Tom. VI. P. I. Edit. Paris. 1714. p. 483—486. — *Mansi*, Collect. concil. tom. XVIII. Venetiis 1773, p. 206—208. — *Migne*, Patrolog. lat., tom. CXXXI, Lut. Parisiorum 1853, p. 34—38. — *Ginzel*, Cod. 68—72.)

8. Řecká legenda o Klimentovi.

Historický obsah, který řeckému vydání této legendy předeslal *Fr. Miklosich.*

Methodius, qui Panonum (*Πανόνων*) eparchiam ornavit, archiepiscopus Moravi (*Μωράβου*) creatus et Cyrillus, multus in exteriori philosophia sed maior in interiori, satis quidem pollebant oratione didactica, quae graeco sermone profertur, multosque trahebat huius sapientiae catena: cum autem Slovenorum (*Σθλοβενῶν*) gens sive Bulgarorum (*Βουλγάρων*) non intelligeret libros graece conscriptos, damnum hoc maximum reputabant Sancti, et facem scripturarum caliginosae Bulgarorum regioni non accendi inconsolabilis doloris faciebant materiam: conturbati erant, ferre non poterant, vitam abdicabant. Quid tandem faciunt? Ad Paracletum respiciunt, cuius primum donum linguae et sermonis auxilium, et ab illo gratiam petunt litteras inveniendi asperitati Bulgarorum linguae respondentes, ut possint sacras scripturas ad linguam huius gentis interpretatione transferre. Et revera ieiunio intenso et orationi constanti, corporis macerationi et animi contritioni et humiliationi cum se dedissent, cupitum consequuntur. Nacti igitur hanc gratiam excogitant slovenicas litteras et divinitus inspiratas scripturas e graeca lingua in bulgaricam vertunt et magna cum diligentia acutioribus discipulis tradunt sacras doctrinas. Non pauci ex eorum doctrinae fonte biberunt, quorum praecipui sunt et chori coryphaei: Gorasdus et Clemens et Naum et Angelarius et Sabbas. Cumque etiam Paulum nossent cum Apostolis evangelium communicasse, currunt et ipsi Romam, beato Papae opus interpretationis scripturarum ostensum: nec incassum cucurrere. Nam qui eo tempore apostolicam ornabat sedem Adrianus, audito illorum adventu laetatus est gaudio magno valde: e longinquo tonitru Sanctorum famae perculsus

cupiebat et fulmen videre gratiae, quae in illis erat. Et accepto secum omni sacerdotio cum praesenti tunc apud illum archisacerdotio exiit in Sanctorum occursum, crucis signum, ut mos est, praelatum habens, faciumque luminibus significans et gaudii serenitatem et hospitum adventantium splendorem, quos glorificans in Sanctis glorificatus Dominus miracula multa patrari ab illis tempore introitus largitus est: opus ostenditur Papae, qui scripturarum versionem, apostolicum fructum, inspiciens non cepit se prae gaudio; beatos praedicabat viros omnigenis nominibus vocabat, patres, desideratissimos filios, gaudium suum, coronam fidei, gloriae et decoris ecclesiae diadema. Libros versos divino altari imponit, quasi donum offerens Deo. Tum eorum, qui Sanctos comitabantur, slovenicarumque litterarum idoneam peritiam habebant, partim ad presbyterorum, partim ad diaconorum aut subdiaconorum gradum evexit. Ipsum autem Methodium, etsi multum refugientem, Episcopum Moravi Panoniae (*Μοράβου τῆς Πανονίας*) consecrat, impium iudicans, carere nomine eum, qui re dignus sit inventus. Cyrillus autem, revera philosophus, quem magnus Archiereus in sancta sanctorum sibi adlegerat, praesciens finem suum, monachorum habitum induit. Postquam in caelum demigravit, corpus eius hymnis a divino Papa et Clero omni honoratum sepultum est in templo S. Clementis, Clementis illius, qui apostolorum coryphaeo Petro convixit et Christi sapientiae hellenicam uti dominae servam subiecit. Simul ac quis ad Cyrilli feretrum accessit aut nomen invocavit huius *θεοφόρου* Patris, doloris discessus mensuram fidem inveniebat, unde multus in Romanorum ore Cyrillus erat et magis etiam in eorum mentibus. Atque Cyrillo quidem talis mors, et talis honor a divinissimo Papa et a Deo contigit: Methodius vero, laborum et viarum socio amisso, cum iam tempus esset, eum illius regionis episcopatum aspicere, in viam cum discipulis se dedit. Ibi non solum tunc temporis ducem Moravi Rasislavum (*ἄρχοντι Μοράβου Ῥασισθλάβῳ*) quotidie hortabatur, divinisque praeceptis informabat mentem, sed etiam Panoniae universae imperantem, cui Cotzeles (*Κοτζέλης*) nomen erat, instituebat et monebat, ut timori Domini adhaereret. Quin etiam Bulgarorum ducem Borisen (*Βορίσην*), tempore Romanorum Imperatoris Michaël regnantem, quem magnus Methodius iam olim filium suum fecerat, et suae (i. e. graecae) linguae omnino pulchrae affixerat, tunc sermonis beneficiis indesinenter donans captabat: erat enim Borises hic ingenii dextri et boni capacis, sub quo Bulgarorum gens christianizare coeperat, quando sancti hi, Cyrillus inquam et Methodius, multitudinem credentium videntes litteras excogitarunt, uti supra diximus, et scripturarum

in linguam bulgaricam versionem fecerunt, ut nati filii Dei divinum cibum haberent; sic scythico errore Bulgarorum gens liberata Christum cognovit, sero quidem et circa undecimam aut duodecimam vineam divinam ingressa vocantis gratia. Anno enim sexies millesimo trecentesimo septuagesimo septimo a mundi creatione (i. e. octingentesimo sexagesimo nono a Christo nato) huius gentis vocatio facta est. Non cessabat magnus Methodius omnem adhortationem ducibus administrare, quos ad vitam honestam dirigebat, quibusque ecclesiae non adulteratum dogma tradebat. Erant enim et tunc, qui id adulterarent et dimoverent terminos, quos patres nostri divinae ecclesiae posuerant, et multorum animae damno afficiebantur a Francis invecta corruptela; qui Filium genitum e Patre et Spiritum sanctum a Filio procedere contendebant, quorum ratiocinationes Sanctus partim e Domini verbis, partim e vocibus patrum evertit. Et multos capiebat in oboedientiam Christi. Tum etiam Sphentoplicum (*Σφεντόπλικον*, var. *Σφεντόπληκτον*), qui post Rasislavum imperabat Moravo, circumvenientes dolo, barbarum hominem et pulchri ignarum, totum sui dogmatis fecerunt. Et quo modo ille, mancipium voluptatum muliebrium, non illis potius tradat mentem suam, quam Methodio, omnis voluptatis amaritudinem, ut animis perniciosam, notanti? Quod enim Eunomius, quo Anomoeorum coepit haeresin, invenit, ut discipulos attraheret plures, idem etiam Francorum gens demens excogitavit, peccantibus nempe ad omnia indulgere. Ab his Sphentoplicus corruptus, omnia ei permittentibus, ad Methodii verba minime animum advertebat, imo ut erga inimicum se gerebat. Quid non dicebat hilare, quid non minabatur terribile Magnus duci? Tum Methodius principi praedixit suum finem post tres futurum dies, frequentium adhortationum hanc praedictionem confirmationem, uti ego iudico, faciens; si enim praedictio exitum nacta prophetam eum faciebat, cui futurorum praevisio spiritu data sit, manifestum erat, etiam dogma, quod docebat, spirituale et a Deo inspiratum esse. Convocatos discipulos ultimis verbis consolatur et confirmat et spiritum stipantibus eum angelis tradit, postquam quatuor et viginti annos episcopatum ornavit, in labore et aerumna non solum suam sed etiam aliorum salutem operatus: non enim sua spectabat, sed populi, ut salvaretur. Ostendit hoc etiam multitudo presbyterorum, quos moriens ducentos dioecesi suae ecclesiae reliquit. Horum vero primas tenebat Gorasdus, quem iam supra praecipuis Methodii discipulis adnumeravimus, qui ab ipso Sancto, finis sui conscio, Archiepiscopus Moravi renunciatus est. Sed non tulit audacissima haereticorum multitudo, Methodium habere post mortem vivum propugnatorem, venite, dicens,

Gorasdum opprimamus; si enim hunc vivere sineremus, revivisceret nobis Methodius. Hunc ergo ab episcopatu removent, et Vichnicum (*Βιχνῖκον*)[1]) quendam, haereseos mero inebriatum aliosque inebriantem in sedem episcopalem evehunt, aut potius sedem per hunc devehunt. Caput tollit haeresis, et in orthodoxam multitudinem Methodii discipulorum superbit: in fideles insurgit, cur, dicens, Methodii verbis mortuis adhaerere mavultis, quam ad viventem archiepiscopum accedere et confiteri e Patre Filium genitum, e Filium Spiritum procedere? Vichnici factio tumultuari et omnia miscere coepit, et parum abfuit, quin manus consererent cum orthodoxis, linguae fessae vim adiungentes sociam. Tandem ad ultimum venere refugium suum, ad sordidum Sphentoplicum, et calumniantur orthodoxos, ut novis rebus studentes. Sphentoplicus convocatis Methodianis, quid, inquit, hoc schisma apud vos agitatur, et quotidie hostiliter congredimini? Nonne omnes fratres estis? Hi vero, quasi ore usi Gorasdo et Clemente, oporteret de his, dicunt, multa facere verba, non enim de minimis periculum imminet, sed de dogmate ecclesiastico et de beata trinitate. Sancti simplici oratione illius interrogationi respondent. Princeps autem pauca intellexit dictorum, erat enim ad intelligendas res divinas stolidissimus, non solum quia educatus erat barbare, et, ut paucis dicam, brutorum more, sed etiam quia mens eius a spurca voluptate erat abrepta, uti supra dictum est. Tale igitur orthodoxis responsum dedit: Ego quidem magnae imperitiae mihi sum conscius et simplex sum quoad dogmatica: quid enim nisi illiteratus? Christianismum tamen mihi vindico et vindicabo. Cum igitur ambiguitates, quas vos excitatis, solvere non possim verbis, neque discernere ab orthodoxo mendacem magistrum, iudicabo vobis etiam de dogmate pronuncians uti de aliis rebus pronunciare consuevi: qui hic apparens primus iuraverit, se recte et orthodoxe credere, hunc circa res maiores fidei non errare iudicabo, huic etiam ecclesiam tradam. Franci igitur, promptissimi ad iusiurandum, neque finem sententiae principis expectantes iuraverunt et statuerunt cacodoxiam suam, insipidae sententiae finem imponentes consentaneum. Talibus iudicibus

---

[1]) Germanis Wiching, homo turbulentus et ambitiosus, ipsisque Bavariis invisus. Nam cum a. 894 Arnulpho se insinuasset pro Cancellario, isque eum creasset episcopum Passaviensem, a. 899 deiectus est ex illa sede a Salisburgensi episcopo. De eo chronicon Passaviense editum ab Adrian in Mittheilungen aus Handschriften und seltenen Drucken. Frankfurt a. M. 1846. 8. pag. 17. Wichingus 878: Der war ein weltgescheiter Herr, Das Evangelium den Mohren predigt er, Wird Bischof mehr durch Gewalt als Einhelligkeit. Corrige annum et pro Mohren pone Maehren. Miklosich.

haeresis de orthodoxia palmam tulit et omnem obtinuit potestatem diripiendi Christi veros servos et fidei custodes; si enim quis, inquit (Sphentoplicus), deprehensus fuerit non credens secundum Francorum doctrinam, illis tradatur tractandus pro lubitu. Quae oratio enarret, quae malitia nacta potestatem fecerit! Illi cogebant consentire pravo dogmati, hi patrum fidem praetendebant; illi omnia facere, hi omnia pati parati erant. Minime vero pauci erant, sed, ut antea diximus, ad ducentos numerabantur de altari; qui vero docendi habebant ordinem, ut Gorasdus ille, cuius saepe meminimus, quem e Moravo oriundum et utriusque linguae slovenicae et graecae peritissimum virtus Methodii ad sedem episcopalem evexit, idemque presbyter Clemens, vir facundissimus, et Laurentius et Naum et Angelarius: hos et alios praeclaros ferro vinctos in carceres condiderunt. Deus vero consolatus est Sanctos tremefaciens terram: contremuere etiam urbis illius incolae, qui cum appropinquassent carceri et viderent, quod factum erat circa Sanctos, qui catenis delapsis in omni libertate erant, citato cursu feruntur ad principem, quid, dicentes, quousque tandem lucem veritatis non aspiciemus? nonne intelligemus miraculum, quod factum est? At haereticorum lingua miraculum calumniari conatur. Postea iterum (non enim intelligebat demens princeps) catenae circumdabant Sanctos prioribus graviores. Tribus interiectis diebus iterum tertiae horae perficientibus orationem eadem accidunt, terra movetur cum sono de caelo, et catenae delabuntur, iterumque theomachi non indicatis principi, quae acciderant, iisdem afflictionibus Sanctos subiiciunt. Elapsis decem diebus tertium ab oriente ex alto athletae visi sunt, at haeretici eadem coecitate auxerunt Sanctorum vulnerum dolorem, extractosque e carcere cruciant. Haec omnia ignorabat princeps haereticis serviens, forte enim aberat; quodsi adfuisset, talia in confessores veritatis non fuissent patrata: quamquam enim Francis favebat et semiferus erat, tamen sanctorum virorum virtutem reverebatur, maxime Dei miraculo iterato. Post illas plagas neque cibum sinentes capere Sanctos militibus eos abducendos tradiderunt alium alio partium Istro adiacentium, decernentes caeli civium perpetuum exilium e civitate. Milites igitur, homines barbari, erant enim Nemitzi (*Νεμιτζοί*), iam natura sua immites, nunc vero etiam e mandato, educunt Sanctos e civitate, quos, cum ab urbe longe abessent, deseruere, ipsi in patriam revertentes. Christi vero confessores Bulgariam desiderabant, Bulgariam sibi requiem daturam sperabant, quam celato itinere petebant, omnium oculos vitare studentes et cibo vestibusque destituti: metu coacti se separarunt, et alius alio sunt dispersi, Deo ita disponente, ut Sancti plures partes

circulo evangelii complecterentur. Clemens cum Naum et Angelario viam ad Istrum ducentem ingreditur et in vicum quemdam deverturtur: hominem Dei amantem et hospitalem inveniunt, cui erat filius unigenitus et pulcher et aetate florens. Sanctis vero vix ingressis domum, en puer egreditur e vita; ille perpulcher et solus patris oculus, generis floridissimum germen. Quid pati putatis patrem? quid non dicere, tantum luctum misere perpessum hospitum pede domum intrante? Vincula poscebat et instrumenta, Sanctos putans praestigiatores esse. Hi vero ipsi non minus patre dolentes orationi se dederunt, et precati super puerum patri filium vivum reddiderunt. Tum iter ad Istrum ducens persequuntur multo cum honore deducti a viro, qui dignus habitus est miraculo, et postquam Belgradum (civitas est haec ad Istrum sitarum nobilissima) pervenerunt, Boritacano (*Βοριτακάνῳ*) tunc temporis eam custodienti apparuere, et omnia, quae sibi acciderant, scire cupienti narrarunt. Quae ubi ille audivit, iudicavit, suum esse, eos principi Bulgariae Borisi (cuius ille legatus erat) hospites mittere; norat enim, Borisen tales viros sitire. Cum igitur ad Borisen pervenissent, interrogati de rebus, omnia illi narrarunt, nihil omittentes. Quibus auditis princeps gratias egit Deo, tales viros Bulgariae benefactores mittenti, deditque proprias sacerdotibus vestes et habitationes illis assignari iussit, primis amicorum suorum destinatas. Cupide et libenter quotidie cum illis colloquebatur, ab illis historias veteres et vitas Sanctorum discens scripturasque ex illorum ore audiens. Sed et quotquot erant cum illo et generis fastu et divitiarum pondere aliis eminentiores, Sanctos frequentabant eosque obsidebant, singuli conantes illos exorare, ut apud se hospitarentur. Sanctis vero non videbatur expedire, se praebere domibus multorum, nisi principe permittente. Quare unus Bulgarorum Echatzes (*Ἐχάτζης*) nomine, *σαμψὴς* officio, ad principem accedens rogavit, ut in suam domum sibi liceret recipere cum venerabili Naum sanctissimum Clementem et ille statim adnuit. Sanctificatur etiam Tzaslavi (*Τζασθλάβῳ*) domus ingressu Angelarii. Sed non erat huius praesentia diu fruiturus Tzaslavus; postquam enim Angelarius apud eum per aliquod tempus vixit, in manus angelorum non insuaviter efflavit animam: Clemens vero et Naum apud Echatzem degebant. Tandem, non enim destitit Michaël, quem supra Borisen nominavimus, omne sanctis viris munus ad opus Dei praeparare, Deo hanc mentem illi suggerente, eximit Cutmitzivitzam (*Κουτμιτζιβίτζαν*) e Cotocio (*Κοτοκίου*), praeficitque illi Dovetam (*Δοβετᾶν*), solvens illum gubernatione, traditque Dovetae beatum Clementem vel potius Dovetam Clementi pro doctore Cutmitzivitzae

misso. Boris ipse tres domos Diaboleos ter beato Clementi assignavit magnificas e genere comitum, et ad Achrida etiam Glavenitzam (*Γλαβενίτζαν*) recreationis locos illi donavit; Clemens vero, ne falleret principis de se spem, per regiones, de quibus meminimus, gentibus Dei verbum praedicabat, in quavis dioecesi delectos habens non paucos: ad tria enim millia et quingentos numerabantur. Cum his plerumque fuit, nosque ipsos humiles et indignos familiariores aliis fecerat, et semper fuimus cum illo, omnia videntes, quae faciebat, quaeque dictis et factis docebat; nunquam illum vidimus otiosum, sed aut pueros docebat, aliis literarum monstrans characterem, aliis scripturarum sensum declarans, aliis ad scribendum manus formans, aut orationi se dabat, aut lectioni attendebat, aut libros scribebat. Aliquando duobus operibus eodem tempore dividebatur scribens simulque pueros docens. E discipulis suis lectores et hypodiaconos et diaconos ordinat. In dioeceses trecenos discipulos miserat, nihil principi pendentes. Haec Clemens per integros septem annos erat operatus, iamque erat illi octavus doctrinae annus ultimusque vitae Dei servo Michaëli Borisi sanctificato Bulgariae principi. Successit in principatu Vladimirus, qui post quartum regni annum e vivis excessit; haeres omnium factus est frater ejus Symeon, qui primus rex (*βασιλεύς*) Bulgariae est appellatus. Hunc Michaël genuit ad similitudinem suam, qui, quod pater imperfectum reliquerat, supplevit, augens divinam praedicationem et ecclesiis nusquam non aedificatis constituens orthodoxiam inconcussam. Cumque fama celebraret Clementem, Symeon rex ad se eum vocat, collocutusque cum eo vindemiat sanctificationem ex ipsa eius specie (erat enim Beatus aspectu ipsis adversariis venerabilis) et regnum suum beatum existimat tali beneficio a Deo accepto. Postea episcopum Drembitzae (*Δρεμβίτζας*) sive Velitzae (*Βελίτζας*) Sanctum proponit et ita Bulgaricae linguae primus episcopus Clemens constituitur. At Symeon Clementi aucto honore auxit etiam laborem. Cum enim reperisset, illius dioeceseos populum divini verbi et scripturarum expertem esse, non dedit somnum oculis suis, cibum et voluptatem faciens populi curam: exemplum enim magnum sibi proposuit Methodium, cuius vitam, ut nemo alius, norat, a puerili iam et tenera aetate eum secutus, omnia dicta factaque magistri cognoscens. Non ignorans populi pingue ingenium et ad intelligendas scripturas plane coriaceum et sacerdotes bulgaros multos difficulter intelligere graeca, quorum literis nonnisi ad lectionem exercebantur, non extante Bulgarorum lingua oratione panegyrica, haec, inquam, non ignorans moliebatur etiam circa haec, suaque solertia destruxit ignorantiae murum: sermo-

nes enim composuit in omnes dies festos simplices et perspicuos nihilque profundi habentes, et sic alter Paulus factus est Bulgaris. Ex his festis Christi et de Christo celebratis discere licet mysteria et sanctissimae Deiparae encomia miraculorumque narrationes, neque Baptistam invenies illaudatum, illiusque capitis miraculosas disces inventiones, et prophetarum et apostolorum occurres vitis, et martyrum certaminibus alae tibi addentur ad eum, qui eos ad se recepit per sanguinem. Desiderans etiam venerabilium patrum disciplinam invenies eam bulgarica lingua conscriptam a sapiente Clemente; feruntur enim haec omnia a studiosis servata, partim in plures Sanctos composita, partim ad immaculatam Dei matrem: ut simpliciter dicam, omnia ad ecclesiam pertinentia, quibusque memoriae sanctorum ornantur et animae compunguntur, Clemens nobis Bulgaris tradidit, et in monasterio reposuit, quod sibi aedificaverat Achride, superstite adhuc beatissimo Borise, nondum Velitzae episcopatu suscepto. Cum enim vidisset, hunc principem omnem sibi subditam Bulgariam septem catholicis templis cinxisse, voluit et ipse Achride proprium aedificare monasterium, cui etiam alteram ecclesiam addidit, quae postea archiepiscopatus sedes constituta est. Et sic Achride tres erant ecclesiae, una catholica, duae autem cathedrali minores, forma vero illa iucundiores; volebat enim ante omnia Bulgarorum circa res divinas incuriam expelli eosque aedificiorum pulchritudine attractos congregari. Cumque Bulgarorum regio silvestribus tantum arboribus esset consita, fructibusque mitibus careret, Clemens e Graecia omne genus sativarum arborum transtulit. Glorificavit etiam illum Deus gratia thaumaturga: revertenti enim Glavenitza Achridem paralytici duo obviam fiunt, quorum alter etiam lumine privabatur; Clemens oculos ad caelum tollens tangit paralyticorum corpora et statim ambo saliebant, uti cervi, coecoque illuxit sanitas: Jamque senectute curvatus et laboribus confectus episcopatu deprecaturus ad regem accessit, quamdiu, dicens, religiosissime Rex, duravit mihi corpus ad labores et curas ecclesiasticas, deserere ecclesiam Dei, quam ipse mihi tradidit, tuo imperio pro manu usus, damnandum videbatur; nunc vero videns senectutem mihi incumbentem, et laboribus vires consumptas, aliquem qui et corporis et animi viribus valeat, et iuniorem domui Domini praefice. Da mihi paucos hos dies, ut mecum colloquar et cum Deo; optima mihi ad haec domus monasterium. Rex novitate rei auditae perculsus, quid haec, pater, inquit, dicis? Quomodo sustineam te vivo alium in illo throno sedentem? Quomodo regnum meum tuis pontificalibus benedictionibus privem? Si te contristavi, per imprudentiam peccavi, tuque uti pater mihi ignosces.

Clerumne potes accusare inoboedientiae et durae cervicis? Flectitur senex precibus. At reversus in monasterium Deum invenit ad scopum suum concurrentem. Simul enim ac rediit, in morbum delapsus est, et praesciens mortem valedictorium (ἐξιτήριον) donum Bulgarorum ecclesiis donavit, parte, quae deerat Triodio, addita; quod enim a nova dominica usque ad pentecosten canitur, tunc absolvit. Statuit etiam de libris, quos composuerat, et de reliquis facultatibus, partem dimidiam episcopatui, dimidiam monasterio relinquens. Sic igitur cum vixisset, migravit ad Dominum, divinumque eius corpus monumento monasterii illatum est, quod ille propriis manibus paraverat ad latus dextrum vestibuli (προνάου) Julii mensis vigesimo septimo die, regnante Symeone Bulgariae rege, anno sexies millesimo quadringentesimo vigesimo quarto a creatione mundi, nongentesimo sexto decimo post Christum natum. Ante vero quam e vita decessit, quidam ex eius discipulis per somnum viderunt Cyrillum et Methodium venientes ad Sanctum vitaeque finem ei praedicentes. Eius pulvis ad hunc usque diem beneficia perpetrat omnem morbum sanans: testimonio sit aridas ille manus pedesque qui accedens ad templum sanitatem invenit. Quis ignorat, quot daemoniacis quotque alio malo affectis liberationem malorum sit largitus, sive accedentibus ad sepulcrum, sive nomen tantum eius invocantibus: quare omnis Bulgarorum aetas ineffabile in illo honorando studium ponit.

O sanctum et divinum caput, per te omnis Bulgariae regio Deum cognovit, ecclesias ipse hymnis et psalmodiis firmasti, festa lectionibus exhilarasti, per te monachi vitis patrum instituuntur ad ascesin, et sacerdotes per te canonice vivere docentur; etiam nunc respice hereditatem tuam, malam abige haeresin et serva a barbaricis incursionibus, maxime nunc cum scythicus gladius bulgarico sanguine inebriatus est.

*